DE TABULA ILIACA QUAESTIONES STESICHOREAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII MENSIS AUG. A. MDCCCXCVII HORA III

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS PAULCKE
KILIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
ERNESTUS HAMMER, CAND. REV. MIN.
RICARDUS BEYER, CAND. PHIL.

INEST TABULAE ILIACAE IMAGO.

REGIMONTI BORUSSORUM MDCCCXCVII
EX OFFICINA LEUPOLDIANA.

Antiquissimis Graecorum temporibus ars poetica et ars fingendi artissimis inter se connexae erant vinculis; si igitur recte cognoveris quomodo ars fingendi secuta sit poesin, fortasse fieri poterit, ut sculpturae picturaeque monumenta ratione et via interpreteris in utilitatem historiae litterarum; si intellexeris, quantam et qualem vim possideat poesis, quod quidem attinet ad artes fingendi, tunc profecto concludere poteris, quo iure et quo usque antiquis imaginibus aut sculpturis uti nobis liceat ad litterarum monumenta nostrae memoriae non iam prodita restituenda.

Neque enim artifices vetustiorum temporum carmina poetarum quomodo apud nos fit operibus suis „illustrare" conati aut servilem in modum sicuti nunc plerumque fieri solet ipsa poetae verba semper secuti sunt, sed e poematis antea conditis exempla trahere satis habuerunt. Fabulae autem carminibus vel popularibus vel epicis tractatae antiquissimis iam temporibus ingentem copiam suggesserunt fingendi pingendique artibus, sed ita, ut posteriores sculpturae imaginesque e prima fabulae alicuius repraesentatione certam quandam retinerent normam. Recentem deinde mythologiae copiam suggessit ars lyrica, quae quantum valuerit, Stesichorus praecipue Himeraeus docet, cuius fabulas Aeschylus, Euripides, Theocritus, alii poetae secuti sunt, nec minus sculptores, cuius rei Carolus Robert[1]) splendidissimum affert exemplum Actaeonem. Polygnotus

1) Bild u. Lied (Philol. Unters. V), Berl. 1881, p. 26.

in primis ingentem personarum numerum uno imaginis tenore comprehendit atque praecipue rebus Troianis operam dedit depingendis; sic Pausania auctore (I, 15, 2) in stoa Atheniensium *ποικίλη* dicta depicti erant *οἱ Ἕλληνες ᾑρηκότες Ἴλιον καὶ οἱ βασιλεῖς ἠθροισμένοι διὰ τὸ Αἴαντος ἐς Κασσάνδραν τόλμημα κτλ.*; in lescha deinde Delphorum (X, 25, 2) a dextra parte *Ἴλιος ἑαλωκυῖα καὶ ἀπόπλους ὁ Ἑλλήνων*, a sinistra (X, 28, 1) *Ὀδυσσεὺς καταβεβηκὼς εἰς τὸν Ἅιδην*; haec imago plus quam octoginta figuras, illa etiam plus quam centum continuit. Attamen exeunte saeculo quarto primum cycli exstiterunt imaginum[2]) ita comparati, ut artifex rem a poeta quodam propositam singulas in partes disponeret atque partes eas coniungeret rursus communi quodam vinculo. Theo sic Samius bellum Troianum Orestisque insaniam imaginum serie expressit, quae res non iam ita dissimilis est ei rationi, qua nostrorum temporum artifices poetas imaginibus „illustrare“ solent.

Optime hanc imaginum seriem vel continuationem adhuc cognoscere possumus e tabulis illis Iliacis, quae primis imperatorum Romanorum temporibus ortae et usque in nostram aetatem conservatae sunt. Quae artis veteris monumenta tali modo subsidium nobis erunt interdum gravissimum, ut poetarum opera plane amissa aut admodum trunca mutilataque cum aliqua probabilitate restaurare possimus quantum quidem attinet ad res argumentumque eorum.

Sic notissima illa **tabula Iliaca** in via Appia prope Bovillas inventa et nunc in museo Capitolino collocata Iliadem Homeri, Arctini Aethiopidem, Iliadem parvam Leschae, Stesichori Iliupersidem [*Ἰλιὰς κατὰ Ὅμηρον, Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον, Ἰλιὰς ἡ μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον, Ἰλίου πέρσις κατὰ*

2) Robert. l. l. p. 46; p. 1—51.

Στησίχορον] illustravit, siquidem inscriptionibus eius aliquam fidem tribuere possumus, quae quanta sit fides, optime explorare atque examinare poterimus, si Iliadis Homericae carmina memoriae nostrae prodita composuerimus cum tabulae Iliacae zonis, quippe quae singulos Iliadis libros imaginibus illustravisse se profiteantur singulorum librorum litteris vel numeris additis.

Apud Ottonem Iahn[3]) vero duae exstant delineationes tabulae, altera Feodori, pictoris Russici, altera Ludovici Schulz, delineatoris Instituti Archaeologici Germanici, e quibus Feodorea imago lineas formasque praebet multo subtiliores, accuratiores, elegantiores quam ectypum ipsum, cum Schulzius contrario modo peccarit, quippe qui veritus, ne longius progrederetur modumque excederet in figuris depingendis, ectypi formas delinearet nimis dubias atque incertas[4]). Quare, ne tabulam interpretantes dubiis uteremur testimoniis, quod ambae delineationes in rebus gravissimis inter se discrepant, ut pro certo dici posset, quid in tabula pretiosissima re vera exstaret, per amicum E. Klostermannum precibus adii Eugenium Petersen, ut novam tabulae imaginem mihi conficiendam curaret; egregia autem benevolentia eius factum est, ut in hac commentatione conscribenda imagine uti possem accuratissima, solis ope effecta. Qua imagine spectata statim errores earum imaginum, quibus adhuc usi sumus, patebunt; omnino tabulam, qualis nunc est, delineationibus accurate exprimi posse negaverim, cum non nulli loci interpretationes vel coniecturas admittere videantur plane diversas, id quod exemplum ut afferam ea figura docebit, quae est a dextra parte portae medio in ectypo Aeneae iuxta discessum, quam alii simulacrum dei deaeve, alii Clymenen, alii Venerem, alii Cal-

3) Iahn, Griechische Bilderchroniken, Bonn 1873, tab. A et A*. — 4) Iahn, l. l. p. 3.

chantem appellaverunt, ego autem Astyanactem cum Graeco quodam viro esse existimaverim. Ne priores quidem tabulae editores in ea plus videre potuisse, quam nunc nos, e nostra imagine cum editionibus prioribus collata effici videtur; sed loci dubii ab illis in delineationibus libere vel etiam temere refecti sunt, sicuti cum Henrico Hirzel iam Ricardus Schoene est arbitratus[5]).

Ricardus Schoene eam nuper sententiam professus est, tabulam nostram Iliacam opus esse prorsus imperfectum, neque ad finem perductum; si vero imaginem nostram solis ope effectam diligenter perlustraverimus, fieri vix poterit, ut illius in partes transeamus. Sed ipsum audiamus: „Fabricatorem", inquit, „dispositionis causa omnes res quasi adumbrasse tantum atque rebus titulos adscripsisse, ut eas deinde commodius posset persequi, neque vero insculpsisse eas accuratius." Qua in re errasse videtur vir doctissimus: Certo figuris exsculptis demum artifex titulos addere potuit in iis intervallis, quae a figuris relicta erant, vel potius circum eas exstiterant, nam aliter in exsculpendis figuris litterae inscriptionum evanuissent rursus. Fragmentum deinde ipsum, quomodo nobis conservatum est, altum est centesimas metri partes XXV, latum XXX, ita ut fieri vix potuerit, ut artifex minutissimas illas formas scalpro vel cultro caelaret omnes; haec altera causa est „imperfectarum rudiumque formarum," quas Schoenius conspexisse sibi videtur, etenim accuratior picturae ars sculptoris artificio in auxilium venit: Opus illud coloribus infectum fuerit necesse est, quoniam pictura deficiente opportunissimis tantum in condicionibus, quantum quidem ad collocationem tabulae atque lucis ad incisionem pertinet, figurarum haud ita caelatarum oras atque circumscriptiones internovisses expressarum in unicolore illa materia „palombino"[6]) dicta, quae quidem, qua

5) Archaeol. Zeitg. XXIV, p. 157. — 6) Iahn, l. l. p. 1., not. 1—2.

est mollitudine nimis facile laedi poterat atque obtundi. Suo igitur iure Aemilius Braun[7]) scripsit, ectypum nostrum esse medium inter vasorum picturam et sculpturam gemmarum. Atque ut taceam de colorum vestigiis cum in aliis ectypis marmoreis tum in sarcophagis servatis, Pompeiis opus fictile est inventum, altum centesimas metri partes XIIX, latum partes XII, quod tabulae nostrae discessum Aeneae accuratissime adaequat; atque id opus coloribus infectum usque ad nostra tempora tam bene est conservatum, ut singuli colores adhuc cognosci potuerint.[8]) Non perfectum esse ectypum nostrum Iahnius[9]) quoque Schoenio concessit; ipse reiecerim has opiniones: Fieri non potuit, quin mollissima illa tabulae materia, quod diu in terra sepulta fuit tabula, arroderetur; quod vero Schoenius affert, ne in altissime quidem exsculptis locis, qui minime laesionibus expositi fuerint, lineas esse claras, sed adumbratas tantum, id respiciendum erit, tabulam nostram „inter rudera et parietinas latericiorum fragmentorum iacentem, quamvis terra et arena illi adhaerente vix conspicuam“ ab Archangelo Spagna inventam atque agnitam esse. Fieri igitur non potuit, quin ectypum praeter ceteras laesiones situ et squalore acceptas, etiamsi summa cura diligentiaque adhibita expurgaretur, figurarum linearumque subtilitatem paullum amitteret, cum e caveis inprimis sordes essent removendae. Ne primos quidem tabulae editores delineatoresque plus in ea quam nos vidisse aut cognovisse, supra dixi. Qui vero diligentius nec semel ectypum contemplatus erit, vix poterit infitiari, non sine diligentia id fuisse exsculptum, siquidem auctor eius fortasse artifex inferioris ordinis vel homo quidam operarius fuit. Oppidi in muris fenestrae ad tela mittenda relictae conspiciuntur, pinnae eorum remo-

7) Ruinen und Museen Roms p. 141. — 8) Cf. H. v. Rohden, Terracotten von Pompeii, Stuttg. 1888, p. 48, qui in tab. 37 imaginem pictam eius operis fictilis edidit. — 9) l. l. p. 3.

tissimis etiam in locis exsculptae sunt diligenter, templorum, porticuum, domorum fenestrae, tecta, contignationes, columnae accurate sunt exsculpta; templorum in tympanis ornamenta significantur; navium remi singuli et aplustria, equorum boumque iuga apparent. Nonnullae denique personae casu tam bene servatae sunt, ut optime armaturam internoscere possis: multis locis thoracum etiam squamae singulae facile cognoscuntur; adspicias quaeso virum illum, qui media in tabula Hecubam revellit de ara; in ea deinde zona, quae Iliadis librum XIV$^{\underline{um}}$ repraesentat Aiacem medium; supra hunc Iliadis libri XV$^{\underline{i}}$ Hectorem; palliorum deinde fluitantium sinus, hastarum cuspides sunt manifesta apud Aiacem, quem modo dixi, et apud eum virum, qui est ante templum Minervae iuxta aram, et apud eum virum, qui ab altera arae parte concidit; clipeorum praecipue in caveis non solum lacertorum bracchiorumque caelatorum certae circumscriptiones, sed etiam pugni ipsi aperte possunt dignosci, quibus pugnatores capulos manubriave clipeorum comprehenderunt. Schoenius[5]) denique ipse Henrici Hirzel sententiam protulit, qui scripsit, in pluribus figuris res singulas, sicut ora vultusque, barbas, alia non iam cognosci posse; ergo potuerunt cognosci tabula non violata.

Haec igitur singula omnia qui comprehenderit complexusque erit, vix infitiabitur, tabulam nostram opus esse perfectum et ad finem perductum, quod temporum tantum iniquitate et invidia materiae propter mollitudinem misere sit pessumdatum. Etiam Brueningius[10]), tabulae adversarius, nuper concessit, opus ab artifice plane confectum atque absolutum esse.

Sed redeat unde aberravit disputatio nostra. Agebamus enim de fide ectypi nostri. Fidem tabulae etiam

10) Archaeol. Jahrb. 1894, p. 136.

Theodori nomen inscriptum testari videtur atque tueri, quod hoc epigrammate pronuntiatur:

ώρηον μάθε τάξιν Ὁμήρου
ὄφρα δαεὶς πάσης μέτρον ἔχῃς σοφίας,

cuius primam vocem Carolus Lehrs[11]) alia tabula Iliaca usus Parisina (ab Iahnio littera C designata) recte complevit in *Θεοδώρηον*, ut omnes fere nunc editores cum eo legant: *Ὦ φίλε παῖ Θεοδώρηον μάθε τάξιν Ὁμήρου*, quamquam haud constat, tria illa verba prima recte esse completa.

Id nunc agitur, quis Theodorus ille fuerit, et quam disciplinam vel artem sit professus; sed vix continget nobis, ut ex ingenti Theodororum caterva certum quendam virum inveniamus: Summa doctissimorum virorum de eo dissensio est, quorum sententias quam brevissime exponam. Lehrsius (l. l.) Theodorum artificem pictorem fuisse existimavit. Welcker[12]) falsa Plinii lectione (nat. hist. 35,144) usus fortasse de Theodoro (Theo autem legendum est) censuit cogitandum esse primo auctore, cuius „bellum Iliacum pluribus tabulis Romae in Philippi porticibus" erat. Quam falsam sententiam Franzius[13]) temere est secutus. Postea Welcker aut eorum virorum a partibus stat, qui putant, Theodorum gypsi formatorem fuisse, aut ita concludit, Theodoro primo in mentem venisse, tales imagines Troiani aliusve cycli epici componere. Salomo Reinach[14]) opinatus est, sculptorem tabulae opus quoddam Theodori propter dispositionem atque ordinem celebre imitatum esse, atque falso rursus spurium illum Plinii Theodorum nominavit. Brunnius[15]) viro cuidam grammatico Theodoro tabulae dispositionem atque inventionem tribuit, id quod ante eum

11) Rh. Mus. N. F. 1843, p. 354—55. — 12) Rh. Mus. 1845, p. 463; Brunn, Gesch. d. griech. Kuenstler II, p. 254 sqq. — 13) C. I. G. III, p. 849. — 14) Traité d'epigraphie grecque, Paris 1885, p. 441. — 15) Gesch. d. griech. Kuenstler I, p. 573.

iam Michaelis[16]) et Reifferscheidtius[17]) fecerunt. Secundum Bergkium[18]) a Theodoro primo hi imaginum cycli inventi sunt; id vero esse incertum, utrum ipse figuras illas formaverit, an artificis in usum inscriptiones tantum composuerit; fortasse et imaginum compositionem et enarrationem inscriptam eiusdem hominis esse, quae deinde ab operario quodam exsculptae sint atque divulgatae; significavit Theodorum Iliensem, qui Suida auctore[19]) Troica composuisset. Christius[20]) Theodorum quendam cyclographum auctorem imaginum in tabula nostra exsculptarum fuisse existimavit. Bienkowskius[21]) et Robertus[22]) tabulae auctorem Theodori artificis cuiusdam exemplaribus primis usum esse censuerunt. Aemilius Braun[23]) arbitratus est, a Theodoro artifice praeclarissima de quibus ageretur artificia collecta atque in unam quasi imaginem esse composita. Wilamowitzius[24]) denique eam sententiam professus est, tabulas aut in officina Theodori cuiusdam factas esse, aut grammaticum quendam Theodorum tali officinae vel fabricae litterarum additamenta illa subministrasse. Loewyus[25]) de suo nihil protulit, sed sententias collegit aliorum Michaelem fere secutus.

Quibus de sententiis maxime inter se diversis difficile decernitur. Melius nos profecturos esse atque ex usu fore confido, si titulis, quibus Theodorus noster nominatur compositis, quaesiverimus, quid ex ipsis inscriptionum verbis possit enucleari. Sunt autem hae:

---

16) Apud Iahn. l. l. p. 91. — 17) Amali dell'Inst. 1862, p. 112. — 18) Griech. Litteraturgesch. I, p. 913 c. nota 81. — 19) Suid. s. v. *Παλαίφατος*; cf. Serv. ad Verg. Aen. I, 28. — 20) Gesch. d. griech. Litt.[2] p. 67. — 21) Mittheilg. d, deutsch. Archaeolog. Inst., Roem. Abt., Vol. VI, 1891, p. 201. — 22) 50. Progr. z. Winkelmannsfest, Berl. 1890: Homerische Becher, p. 67 c. not. 10. — 23) Ruinen u. Museen Roms p. 141. — 24) Philolog. Untersuchg., Berl. 1884, Heft 7, p. 332; deinde in prima editione Herculis I, p. 170. — 25) Inschriften griech. Bildhauer, Leipz. 1885, p. 300 n. 454—55.

I. Iahnia imago A. (A.*).
[Ὦ φίλε παῖ Θεοδ]ώρηον μάθε τάξιν Ὁμήρου
ὄφρα δαεὶς πάσης μέτρον ἔχῃς σοφίας.
II. Iahnia imago C².
Θεοδώρηος ἡι τέχνη.
III. Bienkowskii (l. l.) tabulae IV et V.
Ἀσπὶς Ἀχιλλῆος Θεοδώρηος καθ' Ὅμηρον.
IV. Bienkowskii (l. l. p. 200) tabula VI.
[Ἀσπὶς] Ἀχίλλειος, Θεοδώρηος ἡ τ[έχνη.]

Propter alterum versum distichi primi, *ὄφρα δαεὶς πάσης μέτρον ἔχῃς σοφίας*, nonnulli viri existimaverunt, fieri non posse, ut artifex tanta petulantia de se ipse glorietur, atque ea de causa Theodorum pro claro quodam viro grammatico habuerunt, cui etiam verba illa inusitata sicuti τάξις pro σύνταξις, Ὁμήρου pro κύκλου Ὁμηρικοῦ, atque μέτρον σοφίας illud optime possent impertiri. At neque grammaticus neque artifex Theodorus gloria ibi se extulit, id quod statim elucebit, si hoc epigramma contuleris Pindaro tributum[26]):

Χαῖρε δὶς ἡβήσας καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας
Ἡσίοδ', ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

atque hunc Pigretis (Suid. s. v.) versum primo Iliadis versui adiunctum, qui similia continet:

μοῦσα· σὺ γὰρ πάσης πεῖρατ' ἔχεις σοφίης.

Quid ergo? Homerus poetaeque cyclici tabulae versu illo in caelum elati sunt, quorum carminibus summam sapientiam atque perfectam — πείρατα σοφίης — contineri et comprehendi.

Froehner[27]) deinde novam quandam opinionem protulit titulo usus secundo, *Θεοδώρηος ἡι τέχνη*. Carolus

26) Bergk, P. L. G. I⁴, p. 479. — 27) Rh. Mus. 1892, Kritische Studien.

Lehrs[28]) et Welcker[29]) existimaverant lineam illam iota litterae simillimam post articulum ἡ positam non alia de causa ductam esse, quam ut quadraturarum series, in quas tabula illa a tergo distributa est, aequo modo litteris compleretur. Froehner autem nuper hanc lineam nova quadam ratione et plane diversa interpretari conatus est, atque hac linea significari re vera litteram iota contendit, id esse notam numeralem decimam. Legit igitur *Θεοδώρηος ἡ δεκάτη τέχνη*, id est Theodori ars decima vel artificium opusve decimum, colligitque deinde litterarum e genere, hunc Theodorum fuisse sculptorem Alexandrinum novissimorum Ptolemaeorum temporibus, qui operi suo decimo numerum illum *I* indidisset.

Quae Froehneri sententia variis de causis non ita probabilis mihi videtur: *Τέχνη* idem est atque ars, *τέχνημα* autem est artificium. Infitiari quidem non possumus, nomen abstractum *τέχνη* etiam concreto sensu usurpari pro *τέχνημα*, sed raro et a poetis, sicut:

κρατῆρές εἰσιν, ἀνδρὸς εὔχειρος τέχνη[30]), aut
εἰμὶ γὰρ τέχνα Σκόπα.[31])

Neque vero unquam cum voce *τέχνη*, si artificii tenet notionem, ullum adiectivum numerale, sicuti hoc loco *δεκάτη*, compositum vel coniunctum esse iudicaverim, cum semper sensus abstractus „ars", id est „Kunst" insit. Ut vero haec verba — nihil dico de tam mira positione verborum — isto sensu coniungi possint, quis est qui legens statim lineam illam numerum esse cognoscat, cum licuerit sculptori, hanc lineam punctis aliisve rebus notare atque insignem reddere, ut qui legeret cognoscere posset, hoc loco numerum esse intellegendum neque lineam loci complendi causa ductam.

---

28) Rh. Mus. 1843, p. 355. — 29) Alte Denkmäler II, p. 200 sqq. — 30) Soph. Oedip. Col. 472. — 31) Anthol. Pal. XVI, 192,2.

Maxime dubia igitur Froehneri conclusio videtur esse, praesertim cum nostro iure contendere possimus, talem lineam iota litterae similem etiam aliis locis inveniri posse plane supervacaneam; nonnunquam enim occurrit, ut lapidarii post *H* aut *Ω* litteras sine ulla causa scripserint *I* litteram. Exempli causa inspicias inscriptiones has, quae sunt in CIG III, 4956: *ἐγώι; ἐκπράξωι;* III, 4905: *ἥκωι; ἐπιστρατηγοῦ;* III, 4936: *ἥκωι;* III, 4957: coniunctio *ἤι* pro *ἤ* decies septies occurrit, articulus *ἡι* pro *ἡ* ter, *μήι* pro *μή* novies; deinde *μήιτε μηιδόλως*. Quae inscriptiones incisae sunt paullo post quam tabulae nostrae Iliacae sunt exsculptae; est enim inscriptio III, 4956 „epistula et decretum Cn. Vergilii Capitonis praefecti Aegypti proposita Oasitis a Posidonio stratego Oasis a. IX. Imp. Claudii, a. p. Chr. 49, Kalendis Februariis.“ Duae inscriptiones Philenses III, 4905 et 4936 certo anno adscribi non possunt. Inscriptio denique III, 4957 est „decretum Ti. Iulii Alexandri praefecti Aegypti propositum Oasitis ab Iulio Demetrio stratego Oasis a. II. Imp. Galbae a. p. Chr. 68 die 28 mensis Septembris.“ Vix igitur cum Lehrsio aliisque iota illud vel linea illa spatii tantum complendi causa tabulae insculpta esse existimanda est; perversum quoddam scribendi genus habendum est temporibus illis usitatum.

Quare Froehneri interpretatione illa reiecta vox *τέχνη* nostro loco mihi non opus vel artificium, sed artem videtur significare.

Nusquam verbis perspicuis Theodorus est artifex dictus aut fabricator, sed *τέχνη* sola, id est ars appellatur Theodorea; deinde quod verba *τέχνη* et *σύνταξις Ὁμήρου* plane sibi videntur respondere atque idem significare, ea de causa censuerim tabulas nostras secundum *τέχνην Θεοδώρηον συντάξεως Ὁμήρου* esse compositas. Quid ergo? Theodorus sive grammaticus, sive pictor, sive sculptor, sive cuiuslibet ordinis homo hanc rationem atque hoc genus imaginum vel

sculpturarum primus videtur invenisse, Theodoro dispositio atque ordo tabularum nostrarum debetur, qui primus docuit res Iliacas tali modo una imagine vel uno ectypo comprehendere. Plus e verbis inscriptionum colligere vix licebit.

Fortasse aut Theodorus ipse aut mercator aliquis strenuus studiosusque rei quaerendae hanc ectyporum rationem Theodoream ex oriente — an Aegyptum indicat supervacaneum illud iota ratioque litterarum? — Romam transportavit, ut lucrum faceret Romanorum indulgens studiis, cum imperatores originem suam repeterent ab Aenea. Tiberius ut exemplum afferam „notitiam historiae fabularis usque ad ineptias atque derisum curabat" (Suet. Tib. 70), atque elegantia urbanitasque illis temporibus possessionem imaginis aut ectypi Iliaci flagitare videbatur, id quod Vitruvii de architectura libri (VII,5) ostendunt atque Petronii (Sat. 29) inficetus ille Trimalchio. Sine dubitatione tabulas illas etiam ad erudiendum aptas esse concedas.[32])

Prima ectyporum exemplaria fuisse maiora quam tabulae ad memoriam nostram propagatae, clipei Theodorei e fragmento illo, quod Bienkowskius[33]) edidit, manifesto apparet, cuius in margine propter attenuationem illam versus Homeri (Il. XIIX, 483—608) nudis oculis non iam cognosci possunt: Exemplaria prima in minus spatium reducta atque crebro multiplicata sunt, ut quam vilissimo pretio possent venire. Ex altero denique clipei fragmento a Bienkowskio edito (l. l. tab. VI), quod personas figurasque continet aliquanto maiores, quam cetera ectypa, cognoscere possumus, qua fere ratione exemplaria illa prima exsculpta fuerint atque elaborata.

---

32) Qua de re dissentiunt: Marquardt, Privatleben d. Roemer p. 110; Reifferscheidt, Annali dell' Inst. XXIV, p. 112; Platner, Beschreibg. d. Stadt Rom 1837, Vol. III, 1, p. 177; Michaelis apud Iahn, l. l. p. 86 sqq.; p. 91. — 33) l. l, p. 201, tab. IV.

Haec habui, quae dicerem de genere et ratione tabularum Iliacarum. Nunc igitur nostra praecipue usus imagine ectypi **singulas tabulae zonas** quomodo proposueram **cum libris Homeri conferre conabor;** quoniam autem hanc rem iam multi viri doctissimi susceperunt[34]), satis fecisse mihi videbor, si eos potissimum locos proposuero, quibus artifex cum carminibus Homericis non congruere videatur.

In primis **Lysander Konstas**[35]) tabulae fidem negavit, cum permultis locis eam differe a carminibus Homeri putaret; atque nuper A. **Brueningius**[36]), tabulam nostram una cum Iliade latina quae dicitur discrepare ab Iliade Homeri contendit eo crediderim studio pellectus nimio, ut communem quendam tabulae Iliacae et Iliadis latinae demonstraret fontem, quas iisdem locis ab Homero putaret dissidere. Primum igitur meum erit his praecipue adversariorum tabulae sententiis refutatis fidem tabulae tueri atque servare; de ceteris enim adversariis infra dicam, quoniam mediam potissimum tabulae partem Stesichoream impugnaverunt illi ut minus fidam.

Atque primam quidem discrepantiam Brueningius (p. 137) statim initio zonae primae invenisse sibi videtur, ubi Chryses sacerdos ab Agamemnone filiam suam reposcit: Ceteras enim tabulas Iliacas apud Iahnium litteris B et C notatas sine ulla dubitatione ad nostram tabulam ille pari ratione adhibuit, quamquam constat, eas minime inter se consentire, immo in rebus gravioribus discrepare atque ipsa dispositione inter se differre. Nihilominus etiam hanc Brueningii sententiam examinare conabor, praesertim cum hanc tabulae nostrae partem sine dubio e tabulis B et C refici posse crediderim. Repraesentantur haec: Agamemnonis sedentis ad pedes Chryses sacerdos procumbit,

---

34) cf. Iahn l. l. p. 2. — 35) Lysander G. Chadzi Konstas, Iliupersis nach Stesichorus, diss. Lips. 1876. — 36) A. Bruening, Ueber die bildlichen Vorlagen d. ilisch. Tafeln, Arch. Jahrb. IX, 1894, p. 136—165.

ut precibus filiam suam ab eo reposcat; a tergo Chrysae est plaustrum cum bubus iunctis[37]); viri duo de plaustro dona tollunt, quibus filiam senex ille redimere vult (Iahnii in tabb. B et C); tertius quidam vir ante temonem vel boves iunctos astat (in tabb. A*, B, C.), ne intempestive vehere incipiant.

Optime mihi haec imago cum versibus Homeri (I, 11—16) congruere videtur; aliter censuit Brueningius (p. 37—38): Apud Homerum sacerdotem illum pro dignitate sua sacerdotali Graecos eorumque duces precibus adire; in Iliade latina (v. 19—30) contra sacerdotem genibus Atridae affusum per superos orare miserabilem, Myrmidonesque fletibus eius vinci. Et in Iliade latina et in tabula Chyrsen se abiecisse et prostravisse dissentiente Homero. — Certo in Iliade latina senex ille dignitatis suae rationem non habuit, praesertim cum id respicias, quam turpiter ibi senex rediens se gesserit. Nihil eiusmodi in tabula invenies; quamquam Brueningius in ea re videtur offendere, quod Chryses procubuit ad pedes Agamemnonis. Quid est autem Homeri illud *ἐλίσσετο*? nihil aliud quam supplicatio, id quod ex infinita terminorum Homericorum multitudine efficitur[38]). Quid? si neque Nestorem senem dedecuit, supplicantem omnium virorum genua amplecti (Il. XV, 660), neque Thetidem deam genua Iovis (I, 500), qua de causa eandem rem Chrysae sacerdoti opprobrio dare poteris in tabula nostra? Optime sic artifex terminum Homeri expressit, et videmus aliter atque Brueningius sentiat Iliadi latinae et tabulam et Homerum esse oppositos.

In altera imagine[39]) ubi C h r y s e s utroque bracchio sublato a n t e a r a m e t t e m p l u m A p o l l i n i s S m i n t h e i

---

37) Conferas quaeso clipeum Achilles Theodoreum a Bienkowskio l. l. editum; tab. VI. — 38) Il. I, 610; VI, 45; IX, 451; X, 455; XX, 469; XXI, 71; XXIV, 465. — 39) Ad hanc imaginem atque sequentes cf. Robertum, qui (Archaeol. Zeitg. 1874 p. 106 sqq.) ipsa tabula Romae perlustrata delineationem Feodoream et Schulzianam emendare conatus est.

iram dei in Graecos deprecatur offenderunt Iahnius (p. 11) Brueningius (p. 138) Konstas (p. 16), quod tabulae artifex Chrysen ante templum Apollinis depinxit, sicut etiam in Iliade latina (v. 27)

„Contemptus repetit Phoebeia templa sacerdos.“

Apud Homerum enim hoc loco de templo non dici. Perscrutemur igitur Homerum paullo accuratius: In versu 34 sacerdos mutus (ἀκέων), nec vero gemens, lacrimans, tempora plangens quomodo latinus iste, oram legit maritimam, nimirum quia Chrysa oppidum patrium ad mare situm erat; deinde (ἔπειτα), postquam discessit, multis precibus adiit Apollinem, non inter viam; quarum precum exordium (I, 37 sqq.) tam longum copiosumque est, ut prooemio et cultui caerimoniarum illud respondere existimem, quoniam in itinere sacerdos recenti maerore gravissime afflictus preces suas sine dubio abruptius et sine longo prooemio protulisset. Qua de causa censuerim, artificem lepida divinatione quadam Homeri verba supplevisse et accuratius imitatum esse, quam Iliadem latinam, quia Apollini etiam cognomen Smintheum ab Homero traditum indidit, quod illis in regionibus erat usitatum[40]. Ipsis prooemii verbis etiam Chryses templum respicit a se ipso Apollini dedicatum (I, 39). Neque vero de immolatione quadam cogitandum est, quomodo Konstas voluit: Obstat habitus adorantis, qui dona accipere neque praebere vult. Incidit Konstas in has erroris insidias propter Feodoream delineationem falsam, ubi iuxta bovem — nos boves iunctos conspeximus — victimarius quidam depictus est, qui umero securim gerit. Falso sic Konstas prioris imaginis viros bovesque ad hanc de qua agitur imaginem adhibuit. Postea autem in immolatione vera etiam apud Homerum ara Apollinis commemoratur (I, 448).

40) Il. I, 448; Strabo XIII, 604; Plin. nat. hist. V, 30 (32).

Calchantis deinde propter habitum non intellego, cur cum Konsta (p. 16) tabulae artificem vituperem. Homeri affero versum duodeseptuagesimum et sequentes. Optime Calchas pestilentiae perniciosae causam explanans dextram manum Apollinem versus porrigere potest; conferas quaeso etiam apud Homerum illud ὅγε demonstrativum versus 93 nomine Apollinis omisso. Sed ne conspicio quidem in imagine nostra brachium retortum illud delineationis Feodoreae aut Schulzianae: paludamentum Calchantis dextrorsum progredientis post umeros volitat. Ceterum ubi Feodorus et Schulzius Homerum pressius secuti ἀργὸν κύνα depinxerunt, ego in ectypo conspicio virum pestilentia abreptum; canis cauda inflexa et lumbi sunt viri alicuius caput et bracchium, in quo praeclare singuli musculi internosci possunt.

Tunc in eodem hoc ordine Nestorem, cuius Ilias latina mentionem non facit, in tabula exsculptum videmus, quem Brueningius (p. 138) censuit, non tam acriter se immiscere regum rixae apud Homerum, quam in tabula. Prosequamur igitur utrumque: In tabula inter Agamemnonem et Achillem, quorum adhuc maledictis conviciisque alter alterum obruit, quamquam Minerva iam intervenit, Nestor e sella prosilit et sinistra adhuc sellam corripit, dextra inter adversarios porrecta litigantes quasi dirimere et iram eorum compescere et mitigare conatur. Praeclara hercle totius rei compositio, nec minus congrua cum Homero, si conferas versus hos (I, 247):

τοῖσι δὲ Νέστωρ
ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής.

Quod vero in tabula etiam Agamemnon gladium strictum — an forte est sceptrum σκηπτούχου βασιλῆος? — manu tenet, qua re Brueningius (p. 138—39), Konstas (p. 16), Iahnius (p. 11) artificem putaverunt verba Homeri relinquere vel excedere, mihi illa res non tanti momenti vide-

tur esse, quantum tabulae adversarii illi tribuerunt, cum imago a re vera differre non videatur; nam si quis stricto gladio impetum in te faciet, vix tu securus gladium in vagina tenebis reconditum, sed vim vi propulsare conaberis[41]).

In extrema denique primae zonae parte Thetis eodem habitu exsculpta est, quo Homerus eam descripsit (I, 500- 502), nisi quod manus inter se mutatae sunt, ita ut Thetis dextra manu Iovis genua amplectatur, laeva mentum eius mulcere conetur. Iniuste igitur Brueningius (p. 139—40) nimio differentias inveniendi studio hanc tabulae imaginem reiecit, quae congruit cum Homero contra Iliadem latinam (v. 87); etenim „sparsos capillos" Thetidis „genibus regis affusae" in tabula repperire non potui.

Reliqui ordines, qui Iliadis librum alterum usque ad duodecimum repraesentaverant, cum magno dolore nostro interierunt ectypo fracto, neque mihi in animo est, ceterarum tabularum Iliacarum fragmenta ad nostram tabulam complendam et Homeri cum Iliade conferendam adhibere, quoniam illa ut supra dixi a nostra tabula plus minusve discrepant dispositione, quam ob rem minus idonea sunt ad fidem nostrae tabulae servandam aut demonstrandam. Nihilominus facere non possum, quin duas Brueningii observationes paucis attingam:

Ad quintum Iliadis librum Brueningius (p. 140) tabulas B et C in auxilium vocavit, miraturque Minervam

41) Miro quodam modo cum hac sculptura congruit pictura II^a^ codicis Ambrosiani Homerici, in qua quidem Menelaus et Agamemnon sceptra manibus tenent; pone conspicitur militum contio. Cf. etiam picturam III^am^ et verba Angeli Maii in editione codicis. Operae pretium deinde erit hasce codicis picturas cum ectypo nostro conferre: In pictura I^a^ videmus Chrysen orantem atque pestem; in pictura VII^a^ maestum Achillem Thetis mater consolatur; in pictura VIII^a^ ante fanum Apollinis Chryses filiam recipit; in pictura IX^a^ Thetis Iovem pro filio deprecatur; in pictura LIV^a^ denique Hector Achillis congressum exspectat (Il. XXII, 5; 35; 92).

certamini Diomedis et Aeneae interesse in ectypis. Nos non mirabimur, si apud Homerum (V, 290) legerimus, ab ipsa Minerva hastam Diomedis in Pandarum esse directam, qui inter Diomedem et Aeneam fugientem humi iacet; deinde conferas quaeso eiusdem libri versus 1—3, 123, 256, qui satis demonstrant, Palladis numen Diomedi semper praesens esse in hoc certamine. Neque praetermittendum est, hoc loco Iliadem latinam (v. 394):

„bellica Pallas adest . . .
atque animos iuveni viresque ministrat“

quam simul cum tabula oppositam esse Homero usque contendit Brueningius, verbotenus fere consentire cum Homero (V, 1—2):

Ἔνθ' αὖ Τυδείδῃ Διομήδεϊ Παλλὰς Ἀθήνη
δῶκε μένος καὶ θάρσος . . .

neque desunt Homeri in versibus sequentibus Iliadis latinae illa „flagrantia ignibus arma“. Quid igitur demonstravit Brueningius?

Ad libri sexti deinde *Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίαν* Brueningius (p. 140) tabulam B adhibuit et in ea nutricem Astyanactis desideravit, quia nescio qua causa non finem sed initium colloquii, quod est inter Andromachen et Hectorem, comparavit. Accuratissime hic ectypi locus quadrat Homeri in versus VI, 482—84 hos:

Ὣς εἰπὼν ἀλόχοιο φίλης ἐν χερσὶν ἔθηκε
παῖδ' ἑόν· ἡ δ' ἄρα μιν κηώδεϊ δέξατο κόλπῳ
δακρυόεν γελάσασα.

Dextra ectypi parte non mutilata librorum XIII[i] usque ad XXIV[um] argumenta nobis conservata sunt singulis ordinibus.

In prima parte imae zonae [*N*] Meriones (XIII, 295—97) depictus est, qui laeva clipeum gerit eademque manu Adamantem (560—575) crinibus trahit; dextra

hastam e visceribus hostis palpitantis evellit (568; 574); — neque enim gladius ille Feodoreae delineationis in nostra imagine conspicitur, sed hasta. — Sequitur Idomeneus (362—63) qui Othryoneum prostravit; hunc amicus quidam (an Deiphobus versu 402 dictus?) pugnantium e concursu auferre conatur; deinde Asius et ipse ab Idomeneo ictus (384; 389); ultimo loco Aeneas et Aphareus concurrunt (541—542); Aeneae gladius aperte cognoscitur, Aphareus hastam vibrat lacertum excutiens. Qui pugnatores quamquam omnes etiam ab Homero nominantur, tamen hoc loco Iahnio (p. 16) et Konstae (p. 17—18) concedendum est, artificem ipso pugnantium habitu versus Homeri non plane adaequasse, nimirum quia in hoc libro communis omnium concursus atque tumultus artifici sculptori argumentum suppeditavit minus insigne. Adamantis nomen in Acamantem depravatum esse haud nimio opprobrio dabimus artifici in opere subtilissimo.

Etiam in ordinem sequentis libri XIV[i] [Ξ] videtur error quidam irrepsisse: In extrema ordinis parte sinistra cognoscitur persona quaedam, quam Feodorea imago plane omisit — hiat ibi lacuna —, Schulziana virum repraesentavit humi subsidentem, qui manibus in caelum sublatis vitam videtur precari ab hoste. Hanc personam Iahnius (p. 16) Satnium appellavit, quem Aias Locrus hasta interfecit apud Homerum (XIV, 440—47); sequentes personas Archelochum [Ἀρχέλοχος] et Aiacem Locrum [Αἴας Λοκρός]. Quoniam autem Archelochus non ab Aiace Locro sed a Telamonio (458—66) occisus est, artifici hanc Archelochi personam inter Locrum Aiacem et Satnium interponere non licuit, quam ob rem, ne amborum Aiacum nomina viderentur confusa esse, Michaelis apud Iahnium ad eam confugit interpretationem, ut in tabula ab Aiace Locro Satnium prostratum diceret; Archelochum conari pugnantes

dirimere labentemque socium tueri; ita brevitatis causa duas res in unam imaginem esse coartatas, nam postea demum Archelochum interfectum iri, sed a Telamonio. — Cum Konsta animum inducere non possum, ut in his Iahnii et Michaelis explicationibus acquiescam, atque ipse Konstas aliam interpretationis viam aperuit inscius de improviso: Nequaquam in nostra imagine solis ope effecta prima huius ordinis figura in ea positione qua Schulzius et Robertus[42]) voluerunt repraesentata est; virum quendam ibi video incedentem bracchiis dependentibus lassis; altera manu sinistra brachii promissi ille telum intuentibus nobis decurtatum ita gerit, ut facile cognoscas, eum certo non esse expeditum et ad pugnam paratum. Hunc virum Archelochum esse contendo, quem inopinantem et de improviso hasta Aiacis transfiget, qua petit Aiax Polydamantem. Tabulae enim inscriptio *Ἀρχέλοχος* inter primam et alteram figuram provenit, ut eam nostro iure ad primam de qua agitur figuram conferre nobis liceat; quin etiam interrupta est inscriptio illa et in duas lineas dispertita, ne plane subter alteram figuram procederet. Sic quoniam artifex initio spatii non satis rationem habuit, postea intervallum non suffecit, ut Polydamantem notaret nomine subscripto longo. Polydamantem enim dico alteram figuram, quam hasta armatam saltu se ab Aiace in sinistram partem proripere cognoscimus e positione femorum, scilicet ut evitet telum Aiacis mortiferum; lepide sic ectypum congruit cum hisce (v. 459 sqq.) Homeri versibus:

Πουλυδάμας δ' αὐτὸς μὲν ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν
λικριφὶς ἀΐξας, κόμισεν δ' Ἀντήνορος υἱὸς
Ἀρχέλοχος . . . . τόν ῥ' ἔβαλεν.

nisi quod Aiaci nomen Locrus falso est inditum.

42) Arch. Zeitg. 1874, p. 107.

In sequenti deinde huius zonae imagine eodem e libro hausta Hector conspicitur, qui Aiaci Telamonio acriter instanti fuga se eripit quam celerrima (XIV, 408—20). Konstas (p. 20) censet, Hectorem in tabula sermonem instituisse cum Apolline atque ea in re adeo esse occupatum, ut imminens periculum non animadvertens ab Apolline corripiatur manu et eripiatur periculo. Qui tabulam semel contemplatus erit, statim cognoscet, Hectorem non stare et abripi ab Apolline, sed in fuga esse et recipi ab Apolline. Deinde Neptuni et Apollinis habitus Konstas nequit interpretari. Neptuni figura in ectypo quasi adumbrata tantum et minus caelata quam ceterae personae videtur esse, ut unus quisque cognoscat, hoc puncto temporis Neptunum se pugnae ipsi non immiscere, sed numen et auxilium eius sicuti ceteris Graecis ita etiam Aiaci praesens esse. Saepius in hoc ipso Homeri libro Neptunus commemoratur Achaeos cohortans (354—363; 383—87) et aggrediens etiam Troianos (390), ut optime artifex hoc loco eum introducere potuerit adiutorem Aiacis. Apollo autem pharetratus siquidem hoc in libro non commemoratur, saepissime tamen sequenti in libro decimo quinto occurrit nobis ab Iove Achaeos reicere Hectorisque deficientes iam vires reficere iussus. Brevitatis causa igitur sculptor hoc loco Apollinem intercalavit, quod Hectoris salus illi summi videlicet momenti erat; praeterea superioris lineae imago pugnam ad naves ipsas commissam continet solam, cui Apollo iam non interfuit. Culpa vero non tam artifici ingerenda erit, quam illi viro, qui falsa librorum dispositione singula facta arte inter se cohaerentia miro quodam modo diremit atque distraxit.

Libri decimi quinti [*O*] illustratio praeter alias optima dispositione et acri vividaque compositione excellit, ut artificem praeclarum quoddam exemplar imitatum esse

existimem. Pervulgatum fuisse illud argumentum apud veteres non solum artifices, sed etiam apud operarios, Lucilii testatur epigramma[43]) quoddam, quod sic incipit:

Γραπτὴν ἐν τοίχῳ Καλπούρνιος ὁ στρατιώτης
ὡς ἔθος ἐστίν, ἰδὼν τὴν ἐπὶ ναυσὶ μάχην.

atque Iohannes Overbeck huiusce rei non nulla collegit monumenta[44]). Aemilius Braun[45]) quoque putavit, eum qui imaginum hanc composuisset seriem manifesto non id egisse, ut sua ipsius nobis repraesentaret commenta, sed operam dedisse compositioni illustrissimorum artificiorum, quae eas de quibus ageretur res ante eum tractavissent; sic totum opus animos nostros magis advertere, quin etiam interdum vel maximi esse momenti. Heleni tantum figura, qui ab Homero ibi non nominatur in tabula nostra ex alio libro adiecta est; multae enim hoc loco personae effingendae fuerunt sculptori, quare Helenum supposuit, cuius virtus saepissime laudibus effertur ab Homero. Konstam, qui unitatem loci et temporis vituperat (p. 20—21) in ectypo, fugit, ea quae Homerus poeta epicus fusiore dicendi genere deinceps perscripsit re vera in parvum temporis spatium coartari posse. Contra Brueningius concessit, tabulam hoc loco congruere fere cum verbis Homeri.

Depictos videmus deinceps Aeneam [Αἰνήας] clipeo hastaque armatum (XV, 332); Paridem [Πάρις] (341), qui hastam aut facem manu tenet, et Helenum [Ἕλενος]. Paullo deinde infra Clitus [Κλῖτος] Teucri sagitta transfixus corruit (445). Sequens persona cuius nomen nescimus corpore incurvato facem Hectori videtur subministrare, neque lapidem tollere, quomodo Iahnius et Brueningius voluerunt (v. 718 sqq.). Hector [Ἕκτωρ] et Aiax (415—18

---

43) Anth. Pal. ed. Duebner XI, 211. — 44) Ioh. Overbeck, Gallerie her. Bildw. I, p. 421—24; cf. etiam C. Robert, Bild u. Lied p. 59 sqq.; C. Robert, d. Iliupersis d. Polygnot, Halle 1893, p. 60. Pausan. V, 19, 2. — 45) E. Braun, Museen u. Ruinen Roms, p. 141.

et passim) principalem locum tenent in imagine pariter atque apud Homerum. Hectoris ante pedes Caletor [Καλήτωρ] concidit hasta Aiacis occisus (419—21). Teucer Aiacis clipeo tectus (437—70 et pass.) sagittas mittit in hostes. A tergo Aiacis vir quidam videtur collabi, quem Homeri verba secutus (428—35) Lycophronem dixerim, qui Hectoris telo, quod Aiaci destinatum erat, occisus est.

Quicumque vir sine ira et studio tabulam cum verbis Homeri contulerit, concedet, ectypum praeclara quadam fide Homerum imitari compositione insigni. Brueningius tamen censuit (p. 141), Iliadem latinam vel melius congruere cum ectypo nostro, atque argumenti causa maioribus litteris haec verba (Il. lat. 797 sqs.) protulit:

„Aiax,
stans prima in puppi, clipeoque incendia saeva
sustinet et solus defendit mille carinas.“,

quamquam in ectypo nostro Aiax cum pluribus sociis navem defendit unam ab Hectore. An forte Homerus cum tabula peccavit contra Iliadem latinam, cum scriberet (v. 415):

τὼ δὲ μιῆς περὶ νηὸς ἔχον πόνον,

atque adderet omnes personas et omnia nomina quae in ectypo nostro videmus, in Iliade latina non invenimus?

Libri decimi sexti [Π] zona Patroclum ostendit et Myrmidones pugnam parantes. Achilles, ad quem tres Myrmidones adhuc inermes adeunt valedicturi, in sella assidet haud ita dissimilis heroi succensenti in libro nono, ad quem Phoenix, Aiax maior, Ulixes cum Odio et Eurybate caduceatoribus missi erant, ut eum placarent. Falso artificem nostrum alia quadam imagine exemplo usum esse existimaverim: Praeter alia monumenta, quae plus minusve cum ectypo nostro consentiunt, Overbeckius[46])

46) Overbeck, G. h. B. I, p. 408—409; cf. W. Helbig, Wandgemaelde Campaniens, Leipz. 1868, pr. 461.

parietinam imaginem quandam attulit Pompeianam, in qua ante Achillem in sella sphingibus ornata sedentem virgines duae conspiciuntur captivae. Recte Iahnius (p. 17) monuit, Diomedem, quem ectypi nostri inscriptio nominat, eo loco omnino adesse non posse, quia in libro decimo primo a Paride vulneratus erat, necdum in hoc libro decimo sexto per vulnus pugnae interesse poterat teste Homero (v. 25 et 74). Quod vero Polygnotus (Paus. X, 25,4) Diomeden cum Briseide et Iphide depinxit captivam, atque Iahnius probavit Diomeden una cum Achille in vasis fuisse depictam, eam ob rem etiam in parietina illa imagine alteram captivam Diomeden appellaverim, nam Homerus ipse narravit (IX, 656—68), post legationis discessum Achillem cum Diomeda, Patroclum cum Iphide cubitum ivisse. Talibus autem ex imaginibus duplici quodam errore Diomedis titulum [Διομήδης] in ectypum nostrum irrepsisse putaverim, cuius viriles figurae ipsae optime quadrant in Homeri Iliadem, qui eo loco Achillis quasi legatos Menestheum, Eudorum, Pisandrum, Phoenicem, Alcimedontem (XVI, 173; 179; 193; 196; 197) nominavit. Quod vero Achilles occipitium manu fulcit sinistra, hoc corporis habitu non tam dolor et meditatio, quam animi aegritudo truculentiaque indicatur, quoniam tunc frontem sicut in pictura VII^{a} codicis Ambrosiani, nec occiput manu fulsisset: Invitus Achilles et μέγ᾽ ὀχθήσας (v. 48) Patrocli precibus cessit, necdum Troiani ignes in naves Graecorum iniecerant. Quo facto demum Achilles a sede sua prosiluit (v. 123 sqq.), ultro Patroclum excitavit, aciem Myrmidonum instruxit. Quare non est cur Achillis habitu Iahnius offendatur. Solus Διομήδης titulus falsus est, personae omnes optime congruunt cum Homero.

Sequentes huius ordinis personas Michaelis (ap. Iahn. p. 18) nescio qua causa contra Iahnium in Sarpedonem conferre voluit, sed nullo modo Homeri de Sarpedonis morte

narrationem cum ectypo nostro congruam reddere poterimus. Ego cum Iahnio facio, qui Patroclum et Hectorem exsculptos esse censet, quam ipsam rem Konstas (p. 22) huiusce libri in imagine iure desideravisset. Patroclus de curru desiluit (XVI, 733), Hectoris aurigam Cebrionen lapidis ictu interfecit, ut e curru decideret (737); dum ab altera parte nunc Patroclus hasta armatus progreditur (751) spolia Cebriones exuturus, ab altera parte Hector de curru desilire parat, ut de Cebrione mortuo cum Patroclo contendat (755). Gradatim sic ipsa Homeri verba in ectypo nostro persequi possumus, ut miremur, quanam in re Iahnius, Michaelis, Konstas offenderint. Alteram figuram quae inter Hectorem et Patroclum videtur prominere, tunc fortasse etiam Apollinem (788) appellare licebit, qui postremum Patroclo fuit perniciei, ita ut hac ipsa imagine totius Iliadis conversio atque discrimen manifesto exprimatur.

Proxima in zona [*P*] quattuor imagines dignoscere possumus: A sinistra parte Hector Menelaum ab Euphorbo Panthoi filio repellere conatur (XVII, 6—11; 43—50; 70—81); deinde Menelaus Patroclum despoliatum (450) pugnantium e turba retrahit (551; 580); tunc Menelaus et Meriones eum auferunt in castra (716—35), neque vero ad currum tollunt, quomodo Iahnius (p. 18) et Konstas (p. 24) putaverunt, qui ea de causa tabulae fidem impugnaverunt. In ea ectypi parte denique immortales Achillis equos videmus exsculptos, qui initio Patrocli mortem lugentes neque vi neque blanditiis de loco moveri poterant, sed Iove adhalante demum currum nunc huc nunc illuc vehebant (426—41; 455—68). Automedon stat in curru[47] (459) et Alcimedon ei obviam venit (466). Quid ergo? una quaeque huiusce zonae imago Homeri ad verba referri potest, atque

47) cf. Robertum, Arch. Zeitg. 1874 p. 107, 34.

probe artifex ex hoc libro *Μενελάου ἀριστεία* inscripto Menelai inprimis res gestas ante oculos nostros proposuit.

In linea sequenti [Σ] artifex primum lamentationem funebrem nobis repraesentavit a Iahnio satis explicatam. Deinde Thetis cum Nereide quadam tristi animo ad Vulcanum se confert nova arma ab eo petitura (XVIII, 142—44); neglexit artifex, plangentes Nereides antea iam a Thetide esse dimissas (140– 45), et facilem quendam commisit errorem duabus rebus illis in unam imaginem contractis, sicut etiam in superiore ordine Thetis una cum Nereide quadam arma a Vulcano fabricata Achilli filio tradit. — Vulcani operi ipsi Thetidem adesse non posse Brueningius (p. 141—42) contendit, quoniam Vulcanus opus aggrediens sedentem Thetidem reliquisset (389; 468): Brevitatis causa ab artifice complures has res contra temporis et loci unitatem propter spatium angustum in unam imaginem coartatas esse contendo, quod idem in imaginibus eorundem fere temporum Pompeianis saepissime factum est.

Haec tertia imago *Ὁπλοποΐα* inscripta ab Homeri narratione differt, quod Vulcano tres Cyclopes socii laboris adiuncti sunt, quorum apud Homerum nulla fit mentio. Quaestio occurrit operaeque pretium est inquirere, a quonam scriptore primo Cyclopes fabrorum quasi ordini adscripti et Vulcani ministri dicti sint: Apud Homerum Vulcani officina in Olympo est, ubi a ministris adiutus nullis res summae artis fabricatur; quod vero Apollini dedit *αἰγίδα θοῦριν*[48]), eodem fere munere functus est, quo Cyclopes *Βρόντης*, *Στερόπης*, *Ἄργης* erga Iovem, qui illi fulmina subministrant ab ipsis facta. Nil mirum igitur eos brevi ministros Vulcani factos esse, cum illi quoque artis fabrilis periti essent. Posteriores fabulae loca inprimis ignivoma

48) Hom. Il. XV, 308—310; Stat. Silv. III, 132.

Vulcano sedes officinasque assignaverunt, quarum fabularum Homerus ipse quasi auctor fuit. Etenim cum Vulcanus aliquando Iunoni matri contra Jovem succurrisset, Iuppiter eum de caelo deiecit, ut occidente sole Lemnum in insulam procideret, ubi Sintii eum receperunt et coluerunt, quo ex tempore illi haec insula maxime erat grata atque accepta; Lemno autem in insula, quae etiam *Αἰθάλη* vocabatur mons Mosychlus flammas suas eructabat.[49]) Ministros Vulcano adiunxit Aeschylus primus, qui Vulcani proprietates certis personis expressit in Prometheo vincto, cuius fabulae in exordio *Κράτος* et *Βία* in scaenam prodeunt cum Vulcano. Sophocles deinde in Philocteta (v. 986 et 800) ignem Lemnium iam aperte *Ἡφαιστότευκτον* appellavit. Euripides in satyra fabula Cyclope inscripta Siciliam habitandam assignavit Polyphemo scripsitque (v. 295; 20 -22):

γῆς γὰρ Ἑλλάδος μυχοὺς
οἰκεῖς ὑπ' Αἴτνῃ τῇ πυρισιάκτῳ πέτρᾳ;

quod vero Ulixes eadem in fabula Vulcanum his alloquitur verbis (v. 594.):

Ἥφαιστ' ἄναξ Αἰτναῖε,

Euripides fabulas inter se diversas videtur confudisse atque eam attingit fabulam, qua Aetna mons Vulcani officina ferraria esse traditur. Typhonis praecipue ignivomi et sub monte Aetna conditi persona recentiori huic fabulae haud parvam suggessit copiam, de quo iam Aeschylus (Prom. 364—68) sic egit:

κεῖται στενωποῦ πλησίον θαλασσίου
ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο·
κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις ἥμενος μυδροκτυπεῖ
Ἥφαιστος· ἔνθεν ἐκραγήσονται κ. τ. λ.

Thucydides tradidit Hieram insulam pro Vulcani officina habitam esse (III, 88) Siciliamque initio a Cyclopibus et

49) Il. I, 589—94; Od. VIII, 284—85, 293—94; cf. schol. in Apollon. Rhod. III, 409 (Bergk P L G II, p. 290).

Laestrygonibus fuisse habitatam (VI, 2). Theocritus scripsit (II, 133) Liparaei Vulcani ignem minus urere quam amorem. Apud Callimachum denique primum Cyclopes Lipara in insula Vulcani ministri fiunt ampliusque ille hanc fabulam tractavit in hymno Dianae (v. 46 sqq. cum schol.):

Αὖθι δὲ Κύκλωπας μετεκίαθε· τοὺς μὲν ἔτετμεν
νήσῳ ἔνι Λιπάρῃ (Λιπάρῃ νέον, ἀλλὰ τότ᾽ ἔσκεν
οὔνομά οἱ Μελιγουνίς) ἐπ᾽ ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο
ἑσταότας περὶ μύδρον· ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον.

Sic non iam Olympus solus, sed ii praecipue montes, qui ignes evomunt Vulcani officinae sunt Cyclopibus ministris.[50]) Quoniam autem iam apud Aeschylum prima huius fabulae vestigia indagavimus, concludere licebit, doctum poetam Callimachum antiquitus tradita rettulisse. Harum fabularum argumentum vero ingentem copiam suppeditavit artibus fingendi pingendique, ita ut saepissime ferrariam Vulcani fabricam repraesentatam inveniamus. Monumentorum seriem collegerunt Overbeckius et Iahnius. Parietinae praecipue imagines Pompeianae non semel hoc argumento usae sunt.[51]) Mirari igitur vix poterimus, quod nostri ectypi artifex Vulcani officinam exsculpens paulum ab Homero aberravit et recentiorem fabulae formam secutus est, cuius imagines cotidie oculis eius obversabantur. Hoc denique ad Brueningii sententiam, qui ectypum nostrum melius cum

50) Apollon. Rhod. Argon. III, 40—41; I, 608 c. schol.; IV. 761—62 c. schol.; Accius, Philoct. in Ribbecki trag. rom. frgmtis p. 204 v. 525—31; Strabo V, p. 246; VI, p. 274—76. Conferas deinde Hesiod. Th. 855—66; Verg. Aen. VIII, 414—54; Georg. I, 471—73; IV, 170—75; Hor. Carm. I, 4, 7—8, Ovid. Fast. III, 82; Stat. Silv. III, 1, 130—33; IV, 6, 47—49; Stat. Theb. II, 269—79; Plin. nat. hist. III, 9; Iuven. I, 8—9; XIII, 44—45; Nonn. Dionys. 28,6. — Conferenda sunt denique G. F. Schoemanni opusc. acad. IV, p. 325, Berol. 1871; Preller, Mythol. gr.³ I, p. 140 sqq.; 510 sqq.; Christ, d. Aetna i. d. gr. Poesie, Sitzungsber. d. Münch. Akad. 1888, p. 349 sqq.; Roscher, Encyclop. s. v. Cyclops. — 51) Overbeck, G. h. B. I, p. 432—35; Iahn l. l. p. 19 c. not. 135; Bruening, l. l. p. 152—53; Helbig, Wandgemaelde Campaniens, p. 37; 259; 289—91; n. 1316—18 c.

Iliade latina quam cum Homero consentire censuit (p. 141—142), animadvertendum est, in Iliade latina (v. 857 sqq.) nihil dici de Cyclopibus Vulcani ministris, quamquam ibi quoque „Aetnaeos Mulciber excitat ignes".

In zona undevicesima [*T*] Achillem videmus, qui induit arma a Thetide allata (XIX, 3—13); quomodo autem Homerus epica amplitudine cum gaudio suo et voluptate singula arma a Vulcano facta nobis depinxit (XIIX, 478—613), sic tabulae quoque artifex nobis copiam fecit arma admirandi divina. Primo loco Achillem videmus ocreas induentem (XIX, 369—70); altera deinde persona clipeum tradit Achilli (373—80); tertia galeam cristatam manu tenet (380—85), quam personam Phoenicem artifex appellavit. Nam alteram personam vestimento promisso indutam propter vestem cum Roberto mulierem captivam esse putaverim (Diomeden); neque tamen cum Konsta (p. 15), si pro viro eam personam habere necesse est, mirari poterimus, quod Achilles arma induens a sociis adiuvatur, quoniam ipse Homerus scripsit (XIX, 364):

ἐν δὲ μέσοισι κορύσσετο δῖος Ἀχιλλεύς,

postquam antea narravit (309—11), Atridas, Ulixem, Nestorem, Idomeneum, Phoenicem ceteris repudiatis apud Achillem mansisse, ut eum colerent atque curarent.

Extremo huius ordinis loco currum ascendit Achilles (397); ante currum stat persona vel „robustissimi habitus" equos coercens. Vix Iahnio (p. 22) assentiri poteris, qui „propter habitum" Thetidem eam appellavit, quae „valediceret filio in pugnam proficiscenti; in Iliade siquidem nihil eiusmodi inveniretur, apte tamen et lepide ab artifice pro equo Xantho, qui apud Homerum Achillis mortem praedixisset propinquam, Thetidem suppositam esse matrem." Probe a Iahnio inventum, non probabiliter, eundem si virum sic audiveris: „Ante equos astare figuram informem

vel crassam vestimento promisso, quae equos teneret ex oreis." Quid Thetisne est crassa atque informis? Lepida hercle figura! Equidem huius libri affero versus 392—99, ita ut Automedon equis curru iunctis currum ascenderit, Alcimus equos retineat ex oreis; res neque mira, neque quae ullo modo dissentiat ab ipsis Homeri verbis, secundum quae Alcimedontis post tergum Achilles currum conscendit. Aurigam locum tenere iustum ante equos vel boves iunctos et ipsa tabula docet in primo Iliadis libro et multis aliis exemplis corroborari potest[52]), atque nostram personam re vera esse virum iam Robertus[53]) e cruribus nudis conclusit.

In ordine superiore [*Y*] explicando Iahnii sententiae me fere adiungo. Depictos videmus Aeneam, quem Neptunus ab impari congressu retinet (XX, 291—92; 320—25); deinde Hectorem qui Apollinis hortatu Achilli instanti tergum dat (373—81); tunc Achillis et Hectoris certamen singulare (438—42); Apollinem denique, qui Hectorem servavit (443—45). Modo quartam huius ordinis personam contra Michaelem (apud Iahnium p. 22) negaverim esse Polydorum, quoniam ea, quae Homerus (407—18) de Polydoro dixit, minus mihi cum ectypo nostro videntur congruere. Ego aut Apollinem repraesentatum esse putaverim, cuius hortatu Hector se Achilli instanti subduxit, — atqui miro quodam modo delineatio haec Feodorea aequat fere Apollinem pharetratum libri decimi quarti — aut Iphitionem, quem instantem Achilles statim post Hectoris fugam prostravit (381—86). Ectypum ipsum hoc loco obtusum atque arrosum impedit, quominus titulis deficientibus certam definiamus personam.

52) Bruening, l. l. p. 137—38; Gerhard, Auserl. Vasenb. II, tab. 136—40; III. t. 208; IV. t. 249—52; 325; Clarac, Musée de sculpture II, tab. 137 et 162; Arch. Zeitg. 1861, p. 151, tab. 148. — 53) Arch. Zeitg. 1874, p. 107 n. 38.

Libri vicesimi primi [*Φ*] imago varias videtur interpretationes admittere. Ego sic iudico, Achillem a Scamandro impugnatum, deinde Achillem a Neptuno servatum, tunc Achillem Troum vestigia prementem esse exsculptum. Inscriptione *Σκάμανδρος* primae imagini adiecta Iahnius (p. 23) aliique regionem tantum indicari existimaverunt, sed nescio quo iure. Melius in rem quadrare putaverim, si coniecerimus, sicut alios deos alibi, ita hoc loco fluminis numen Scamandrum deum depictum esse, qui Achilli paene perniciei fuit apud Homerum (248—50):

οὐδέ τ' ἔληγε μεγὰς θεὸς ὦρτο δ' ἐπ' αὐτὸν
ἀκροκελαινιόων, ἵνα μιν παύσειε πόνοιο
δῖον Ἀχιλλῆα, Τρώεσσι δὲ λοιγὸν ἀλάλκοι.

Cui sententiae meae vel maior fides accedet, si contuleris versus (212—13) hos:

εἰ μὴ χωσάμενος προσέφη ποταμὸς βαθυδίνης
ἀνέρι εἰσάμενος.

Prima ordinis huius figura Achilles tota vi obnititur Scamandro, qui eum in fluctus suos detrahere laborat sinistro Achillis bracchio correpto; attamen hic manu sinistra hastam gerit, cuius cuspis Scamandri post tergum prominet. Robertus[54]) primus rem recte cognovit. Nil est amplius cur haesitemus in huius ordinis imaginibus Homeri collatis versibus[55]).

Libri vicesimi secundi [*X*] ordines omni dubio videntur vacare mira perspicuitate insignes[56]). Brueningius tamen (p. 142—43) tabulam nostram una cum Iliade latina Homero opponere rursus conatur et contendit, in tabula Hectoris corpus ter circum moenia Troiae trahi, quomodo etiam Iliadis latinae in versibus 997—99 fiat. Num ipse fortasse

---

54) Arch. Zeitg. 1874, p. 107, n. 43. — 55) Hom. Il. XXI, 248—50; 279—87; 531—36; 606—11. — 56) Hom. Il. XXII, 92—97; 131—35; 365—71; 395—405.

in tabula immota hos tres circuitus omnes conspexisse sibi videtur? Immo vero ipsam ectypum nostrum ostendit, Achillem Troiae a moenibus, quae in sinistra imaginis parte exsculpta sunt, recta via ad castra navalia vehi. Idem Brueningius e diversis huius libri argumentis hypothesin quandam protulit, quae accuratissime quadrat in ectypum nostrum: *ἐξάψας δὲ αὐτὸν τοῦ ἅρματος Ἀχιλλεὺς διὰ τοῦ πεδίου ἐπὶ τὸνναύσταθμον ἕλκει.* Altera hypothesis (*καὶ φονεύεται ὑπὸ Ἀχιλλέως καὶ δεθεὶς δίφρῳ σύρεται τρὶς περὶ τὰ τείχη*) congruit cum Iliade latina et Vergilio. Qui est ergo communis ille fons, e quo et Ilias latina et tabulae nostrae argumentum emanavere? Immo contrarium videtur effici e locis a Brueningio allatis.

Parvum tamen errorem commisit artifex, cum formas secutus traditas atque consuetas contra Homerum (XXII, 400) Achilli aggregaret aurigam, itemque in alia quadam tabula Iliaca Roberto teste[57]) peccatum est.

Librum vicesimum tertium [Ψ] putaverim praetermitti posse, cuius in repraesentatione ne Konstas quidem ullam causam opprobrii invenerit, nisi quod complurium rerum repraesentationem desideravit. Animadvertendum est, in curriculo equos et currus multo minores exsculptos esse, quam ceteris locis, quasi longe absint ab intuentibus nobis.

Extrema denique imagine Konstas rursus facere non potest, quin offendatur: Quia a dextra huius ordinis parte Priamus Achillis genua non complectitur, Konstas (p. 28—29) putavit, hoc tempore iam corpus Hectoris redemptum esse collatis versibus 596—98, atque ea de causa in Fabrettium invectus est, qui pravo modo contendisset, artificem cetera ratione sua neglecta ordine contrario a dextra

57) Annali dell' Inst. di corresp. arch. Roma 1875 p. 271.

laevorsum prodiisse in exsculpendis figuris. Immo probo Fabrettium, qui recte iudicavit; etenim quia levissima tantum incisio est inter libri primi et ultimi imagines, quae, qua dispositione est tabula, nulla disiunguntur aut alia re aut architectura, suo consilio artifex inversione facta huiusce ultimi ordinis figuras a dextra laevorsum exsculpsit, ne quis falso in libri primi repraesentationes delaberetur; dextrae autem partis tentorium statim ab intuentibus conspicietur. Praeterea sic aptis Homeri versibus collatis optimam imaginum seriem atque tenorem persequi poterimus.

Quod a dextra parte Priamus incurvato corpore humi sedet, neque iam genua Achillis amplectitur, qui misericordia captus vestimentum dextra oculis admovet, Homeri affero versus (508—512), secundum quos Achilles Priamum senem leniter a se removet, amboque hic Hectorem, ille patrem suum et Patroclum complorat. Pone videmus Automedontem aut Alcimum (474). Mercurium his personis adiunctum esse contra Homerum (468) adeo non mirabimur, praesertim cum Priamum reducem iterum ille comitetur; qua deinde alia ratione artifex nos docere poterat, Mercurio adiutore Priamum huc venisse domumque rediturum esse? praeterea non sedet Mercurius, quomodo Konstas contendit, iuxta Priamum, sed in eo est, ut discedat Priamum corpore inflexo hortatus. Ergo non est, cur offendamur. Deinde Automedon et Alcimus dona Priami de curru tollunt (574—80). Aspicias quaeso, qua audacia et arte in minutissimis his figuris equorum vel mulorum corpora et currus intuentibus nobis sint attenuata vel decurtata! In fine ordinis Achilles, qui socios corporis magnitudine longe superat, ipse una cum Automedonte et Alcimo lotum Hectoris corpus in currum tollunt (587—90). Homero inspecto cognoscimus optime artificem hoc ordine verba non solum sed etiam tenorem Homeri esse secutum. Id temporis momentum, quo Konstas Achillem et Priamum repraesentatos

3

voluit, invenimus Iahnii in tabulis D et F et in scypho quodam Homerico a Roberto edito[58]). Quibus cum scyphis, qui a veteribus Homerici dicebantur, tabulae nostrae cohaerent, quoniam etiam illi imaginibus suis res narratas a poetis repraesentare volunt, ita ut ipsa carminum argumenta summi momenti fuerint artifici caelatori. Homeri Iliadem et Odysseam, Leschae Iliadem parvam et Iliupersidem, Euripidis Iphigeniam Phoenissas Hecubam sic in scyphis repraesentatas invenimus — atqui miro quodam modo etiam tabulae nostrae Iliupersis Stesichorea cum Euripidis fabulis videtur congruere —, neque desunt in scyphis ut nostris in tabulis litterarum additamenta. Vasorum autem ad quorum exempla fabricabantur origo exeunti saeculo quarto aut ineunti saeculo tertio p. Chr. n. tribuitur.

Sic singulis areis tabulae collatis cum libris Iliadis fidem sculpturae iam diiudicare poterimus, atque concedendum est, nequaquam dissentire vel discrepare artificium ab Homero in rebus gravioribus. Quibus locis discrepantiae aut inveniuntur aut inveniri videntur mentione dignae, prolatas eas excusare causamque differentiae ostendere conatus sum. Aliae deinde haud ita magnae differentiae ea de re exstiterint necesse est, quod sculptori artifici res aliter disponenda est atque poetae, cuius ést rerum longa et accurata enarratio, cum sculptura momentum tantum temporis et factorum oculis nostris proponere possit, neque totam rerum rationem atque continuationem. Sic interdum est factum, ut tabulae auctor complura facta inter se diversa, quantum quidem attinet ad unitatem loci et temporis, in unam imaginem conferret et coartaret, quomodo, exemplum ut afferam, libri decimi quinti

58) C. Robert, Homerische Becher, 50. Progr. z. Winkelmannsfest Berlin 1890, p. 26.

imago optimam praebet compositionis speciem, ut clara exempla ab artifice imitando expressa esse putandum sit. Quod aliis locis interdum personarum positiones non plane congruunt cum Homero, nihil hoc facit ad rem, si aliquam concedemus artifici libertatem, ut spatium propositum compleat, quomodo arte dignum sit sua, sive Homerum ipsum secutus est, sive singulorum librorum argumenta, quam ad rem vicesimus inprimis liber testis videtur afferri posse, cuius libri argumentum[59]) ita congruit cum rebus in ectypo repraesentatis, ut argumento illo usus singulas ordinis eius figuras Iahnius interpretatus sit titulis deficientibus. — Paucis tantum locis, ubi paulo longius artifex Homeri a verbis aberravit, ab aliis suorum temporum et sculpturae et picturae monumentis in eos errores perductus est, atqui agitur tunc de secundariis personis (Cyclopibus, Nereide, auriga Hectoris).

Quomodocunque res se habet, ut concedamus errasse artificem in rebus levioribus interdum, nemo certe poterit infitiari, nunquam tabulae artificem de suo arbitrio aut ad libidinem tabulam nostram composuisse, aut res a se ipso aliisve confictas exsculpsisse.

Poetam igitur et tabulae auctorem inter se vix differre cognovimus, quod ipsum Bienkowskius nuper in clipeo Achillis Theodoreo ostendit[60]). Idem vero cadit in cyclum, quod in carmina Homeri.

Aliter quidem inprimis iudicavit Lysander Konstas, qui cum multas minoris momenti differentias affert, tum

---

59) *Αἰνείαν δὲ ἀντιστάντα Ἀχιλλεῖ σώζει Ποσειδῶν νεφέλῃ καλύψας, Ἀχιλλεὺς δὲ ἄλλους τε ἀναιρεῖ καὶ Πολύδωρον τὸν Πριάμου παῖδα· Ἕκτωρ δὲ ἀντιστὰς αὐτῷ φεύγει, Ἀπόλλωνος σώσαντος αὐτόν;* conferas apud Iahnium p. 22—23. — 60) Bienkowskius l. l. p. 194: Abbiamo veduto finora, che l'artefice del nostro relievo ebbe cura di seguire con esattezza la descrizione di Omero in tutte le particolarità, nella serie delle scene, nei motivi, nelle situazioni. Le discrepanze che trovammo, sono isolate e insignificanti.

multas res fortiter gestas et ab Homero enarratas a sculptore neglectas atque omissas esse vituperat quamvis illustratione dignas. Quin etiam (p. 25) Achilles ab ira desistens (v. 67) et νέκταρ καὶ ἀμβροσίη ἐρατεινὴ Achillis pectori instillata (vv. 347; 353) libri undevicesimi ab illo in ectypo nostro videntur desiderata esse. Non dissimilis videtur Konstas carminis nostratis rustico illi a pictore quodam petenti, ut se, uxorem, liberos, familiam, domum suam totumque vicum una depingat imagine. Plane vero eum fugit imagines illas Homeri ex Iliade, Arctini ex Aethiopide, Leschae ex Iliade parva sumptas quasi ornamentum esse circumdatas Iliupersidi Stesichoreae, quo vis tabulae mediae augeretur, quae cum Ilii excidium tum Aeneae in Hesperiam discessum repraesentavit, quae res Romanis summi videlicet erat momenti.

Nullo iure praeter Konstam Seeliger praecipue tabulae mediae fidem in dubium vocavit,[61]) neque vero sufficient causae ab illis prolatae ad auctoritatem eius minuendam aut plane delendam. Neque tamen opiniones illorum omnes hoc loco refellere conabor, quoniam melius de illis agetur, cum tabulae mediae, qua Iliupersis Stesichori repraesentatur, argumentum summamque atque variam eius interpretationem cognoverimus. Quare in finem commentationis hanc disputationem reicere mihi liceat.

Nunc operae pretium erit inquirere, e media tabulae Iliacae sculptura num quid novi cognoscere possimus, quod **Stesichoreae Iliupersidis** fragmenta litteris nobis servata compleat. Ectypum medium enim Iliupersidem secundum Stesichorum repraesentare se profitetur inscriptione addita: Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον.

---

61) Seeliger, die Ueberlieferung der griech. Heldensage bei Stesichorus. Progr. Meissen 1886.

Haec imago in tres partes potest distribui, e quibus summa Troiam oppidum repraesentat moenibus cinctum et turribus; media Hectoris et Achillis tumulos; infima duos continet sinus maritimos, qui alta quadam incisione notantur atque seiunguntur inter se tenui lingula, cuius extrema in parte cippus prominet titulo Σείγαιον adscripto. Alterum sinum naves Graecorum occupaverunt, in altero Aeneas cum suis vela conatur in altum dare. Quae omnia optime congruunt cum geographicis Strabonis (XIII, p. 595), qui scripsit, Graecorum castra navalia et Achillis tumulum prope munitum promunturium Sigeum fuisse, atque oram maritimam litteram ε imitari.

Videmus proinde in ectypo terram ab ora maritima paulatim assurgentem usque ad summam arcem. Urbs ipsa in tres iterum partes potest distribui, in urbem infimam cum porta; mediam quae continet Priami regiam a tribus partibus circumdatam porticibus et duo templa; summam denique et maxime editam, ubi templum Minervae depictum est tribus partibus saeptum porticibus, extra quas a dextra laevaque parte Troianorum domus conspiciuntur.

Singulas tabulae figuras describere supervacaneum fere videtur esse, postquam cum alii tum Iahnius nuper pluribus de iis egerunt; quoniam autem dubiis incertisque Feodori Schulziique delineationibus illi sunt usi, nos optimo iure nostra ectypi imagine usi singulas figuras paucis explicare conabimur.

In summa arce a dextra et laeva parte porticuum pugnatorum paria singula conspiciuntur; delineationes cum nostra imagine fere congruunt. Porticum reductam Feodorus interrumpi putavit, ubi templum Minervae est, et his finibus etiam architecturam addidit; Schulziana et nostra imago porticum praebent continuam. In angulo, qui est inter porticum laevam et templum, miles conspicitur, de

quo dissensio est. Dextro pede in gradu porticus posito protendit sinistrum; manu sinistra arcum tenet, quem dextra tendere conatur; bracchium et lacertus cohaerere fere videntur, ita ut bracchium paene operiat lacertum, et tenuis tantum incisio internoscatur. Crura militis leviter armati optime cognoscuntur; brevi autem tunica indutus est, cuius reliquiae prope dextrum femur apparent; caput pileo Phrygio operitur, qui Graecorum a galeis cristatis facile internoscitur. Feodorus recte vidit; Schulzius falso hunc virum cum dextro bracchio elato depinxit, quasi hastam vibraret, cum vestimento promisso atque sinuoso, cum clipeo protento. — Duae illae ante templum Minervae personae titulo nobis sunt notae, nam litterae exstant hae: *ΑΙΑ*, vestiga litterae Σ et *ΚΑ*. Aiax galea clipeoque armatus, manu dextra gladium strictum tenens Cassandram veste plane amictam (!), quae templi in gradus se proiecit et manus templum versus porrigit, crinibus revellit. Schulzius hoc loco exemplar ipsum fere aequavit. — Paulo infra equus ligneus [δούρηος ἵππος] exsculptus est; si quis accuratius inspiciat imaginem, equi e latere hominis crura et caput galeatum prominentia videbit. Iniuste Iahnius (p. 33) Feodorum et priores editores impugnat, melius enim hoc loco Feodorus quam Schulzius vidit. Supra equum adeo obtusum est ectypum, ut non iam diiudicari possit, utrum ibi quadratum illud portae operculum a Feodoro descriptum re vera fuerit, necne. Carolus Robert conspexisse se illud autumat,[62]) quod idem Schulzius in dubio reliquit, nam lacuna hiat in imagine eius. Crura autem hominis illius delineavit, quem Feodorus depinxit habitu quodam incredibili alienoque ab ectypo.*) — Qui scalam manibus tenet

62) Robert, Arch. Zeitg. 1874, p. 108, cuius explicationes usque prosequaris.

*) O. Rossbachius quoque hoc anno tabula ipsa Romae inspecta portam quadratam et corpus inferius hominis descendentis dispexit.

et equi apposuit ad alveum vir habitu prono et incurvato brevem gestat interulam; caput est inopertum. — Sequentis paris vir alter iuxta aram relapsus sinistra manu aram corripit; dextra, quae hastam iam tenet, nititur solo; plagam accipiet extremam a milite quodam, qui haud scio, an sinistra eum crinibus proripiat; dextra iugulare eum conatur. Homo victor in capite Phrygium gerit pileum, cuius pronus apex cognoscitur. — A laeva arae parte vir unus duobus adversariis oppositus est, quorum alter vestimento amictus promisso collabitur resupinus; dextra solo nititur, laeva clipeum vix protendit. Supra hunc alter adversarius clipeum proiecit atque in eo est, ut dextra sublata hastam coniciat in militem acriter instantem; caput eius per laesiones tabulae cognosci non potest. Hic vir acriter instans clipeo armatus est et gladio, cuius balteus etiam manifesto cognoscitur in tergo. Inter clipeum et galeam cuspis prominet hastae, qua hostem transfixurus est. Tota haec persona maxime est idonea ad refellendas sententias eorum, qui ectypum nostrum non perfectum esse iudicaverunt. — Prope finem deinde porticus miles hominem plane nudum atque inermem crinibus revellit; in genua prolapsus hic manu utraque bracchium corripuit hostis, qui leviter intuenti pileum Phrygium videtur gestare, est enim cassis a fronte exsculpta; dextrum eius bracchium demissum videtur testari, de caede eum desistere.

E summa nunc arce descendamus in regiam Priami porticibus inclusam. Regia in aula Neoptolemus gladio stricto Priamum aggrediens pedem sinistrum femori eius imposuit. Priamus tiara*) ornatus arae insidens hostem manibus inermibus reprimere vix conatur. Quae alteram arae partem occupavit mulierem statim Hecubam appellare nobis licebit; utroque bracchio Priami collum amplexa est,

*) Rossbachius vidit tiaram etiam vittis regalibus ornatam esse.

quo motu est factum, ut vestimentum de superiore corporis parte delaberetur; dextro genu in ara nixa sinistro pede gradus arae attigit et os retorsit ad militem instantem, qui eam crinibus de ara detrahere vult. Et hic miles et Neoptolemus loricis, clipeis, galeis cristatis, gladiis armati sunt. Neoptolemi post tergum etiam ingens fluitat paludamentum. Priami subter pedes miles in tergum concidit semianimis, cuius laeva clipeum tenet, dextra solo nititur; animam autem videtur efflare. Quae altera in parte arae humi iacet persona a Feodoro delineata est ut femina peplo amicta; sed crura, femora, bracchia hominis plane nudati manifesto cognoscuntur, ita ut rectius virum despoliatum quam feminam esse iudices. — Ante dextrum templum a sculptore ἱερὸν Ἀφροδίτης appellatum Menelaus sine dubio Helenam a spectatore aversam et in genua prolapsam, cui vestimentum delapsum est, gladio insequitur; attamen Menelaus caput videtur retorquere atque cunctari plaga letifera ferire uxorem, quae manu utraquae genu sinistrum coniugis supplex corripuit. Gladium strictum recte delineavit Schulzius, Feodorea imago manubrium solum oculis nostris ostendit. — In parte huic zonae contraria miles caput mulieris, quae ante fanum quoddam iuxta aram in genua corruit, retorquet crinibus mucrone iugulaturus eam, quae sinistra manu viri bracchium corripuit, dextram*) aut in caelum sustulit aut infanti circumdedit, qui dextro lateri eius videtur adhaerere.

S e q u e n t i s l i n e a e personae nonnullae ex inscriptionibus nobis sunt notae, ita ut a laeva parte Aeneam [Αἰνήας] cognoscamus lorica et paludamento amictum, cui a viro quodam rapido cursu advolante in manus datur „levis occultis conscia cista[63]) sacris", quae aediculae formam

---

*) Rossbachius ipsa tabula inspecta templum ab ea tangi arbitratus est.

63) Tibull. I, 7, 48.

habet. Hunc virum vestimento sinuoso succinctum esse, pileum Phrygium aut tiaram sacerdotalem in capite gerere putaverim; litterae subscriptae recognoscuntur *Ω* dimidia et *N* haud ita perspicua*). Urgetur ab homine, qui hasta eum transfigere vult et praeter clipeum galeamque nudus videtur esse, nisi forte amictus est lorica de corio facta artissimeque corporis formis se applicante. — Prope portam miles quidam infra veste tectus fortasse saucius in genua se demisit, ita ut calces natibus attingantur; dextra tamen ad plagam retracta adversarium ferire conatur, qui stricto gladio adrepit et latere declinato plagam hostis videtur evitare; hoc idem fere Robertus (l. l. p. 109) in ectypo ipso vidit; quod vero Iahnius dixit, sedere iuxta portam personam veste tectam, falso ille sinistrum militis instantis crus cum ea figura coniunxit, quae iuxta portam in genua se demisit, ut tali modo tota res speciem personae sedentis praeberet. Fogginius[64]) quoque feminam ibi sedere existimavit, quod in omnibus imaginibus tabulae falso mulier picta est sedens praeter Schulzium, cuius in imagine nihil omnino pro certo diiudicari potest. — Infra portam praeter unam omnes personae nominibus adscriptis notae sunt: Aeneas [*Αἰνῆας*] loricatus, barbatus, capite nudo, coma cincinnata (haec omnia cognosci possunt in tabula videlicet non perfecta) laevo umero portat senem Anchisen fulmine claudum et barba instructum, qui sacram rursus tenet cistam [*Ἀγχίσης*]. Manu Aeneas filium Ascanium [*Ἀσκάνιος*] trahit subuculatum et dextra pedum tenentem. Mercurius [*Ἑρμῆς*] deus *διάκτορος* Aeneae viam demonstrat pileo notus acuto marginatoque. Inter Aeneam et Ascanium est mulier, quae dextram apposuit ad genam luctu afflicta[65]). — Supra

---

*) Rossbachius in ectypo ipso vidit, lineam litterae *Ω* dimidiae haud dissimilem nihil aliud esse, quam hominis instantis summos pedis sinistri digitos.

64) Museo Capitolino IV, p. 393. — 65) Robert, l. l. p. 109.

turrem primam*), quae est iuxta Mercurium, intuenti primum lacuna videtur hiare, sin autem imaginem nostram paulo longius et diligentius spectaveris, certae quaedam apparent circumscriptiones personae alicuius: puer quidam in genua collapsus est, cuius femora adhuc cognoscuntur; crura cerni non possunt, quia puerum a fronte ipsa intuemur; sinistram manum demisit, dextra elata aliquid corripere conatur; bracchium hostis crediderim, nam iuxta puerum etiam militis crus conspicitur. — Sequuntur a dextra parte Demophon [Δη] et Acamas, qui Aethram [Αἶσα!] mediam belli e turba tumultuque auferunt potius quam educunt. Haec caput retro reclinavit, quasi torpenti ei vires deficere coepissent. Fabrettius, Begerus, Fogginius eam „ad cutem usque rasam esse" e Pausania potius concluserunt[66]), qui Aethram servitutis indicandae causa a Polygnoto ita depictam fuisse tradidit (X, 25, 7), quam ex ectypo nostro, in quo vix cognosci poterit, utrum Aethrae crines detonsi sint, necne, praesertim cum a fronte eam adspiciamus, ut crines sive fluitantes sive in nodum collecti omnino non conspici possint. — Dextrorsum progredientibus nobis duae apparent feminae, quarum altera superior humi sedens utroque bracchio innititur solo, ita ut superior pars corporis a solo elata sit. Speciem praebet sauciae aut maestissimae mulieris vel virginis. Infra hanc est altera persona, cuius utrumque et crus et femur vestimento velatum atque bracchium sinistrum optime cognoscuntur. Crura solum tegunt, corpus resupinum bracchio fulcitur in terra.

Belli tumultu oppidoque relicto Hectoris ad sepulcrum nos nunc conferamus [Ἕκτορος τάφος]. Est autem

---

*) Rossbachio auctore per spatii angustias duae figurae exsculptae esse non possunt. Mulieris capite prono dextrorsum sedentis lineamenta dispexit, quam captivam aliquam et lugentem feminam Troianam putat.

66) Fabrettius, de columna Traiani, p. 373; Beger, de Ilii excidio; Foggini, Museo Capitolino IV, p. 393.

cippus, qui supra terminatur hemisphaerio, figuraque bestiae insculpta est, leonis crediderim iacentis. Ab omnibus partibus muro includitur continuo, qui supra praestructus regulam continet crenis vel glyphis ornatam. Infimo muro gradus duo adiecti sunt, in quibus captivae subsident Troianae. Binas muri partes a fronte, binas a tergo videmus, ita ut in spatium illud quadratum inspicere possimus a muro inclusum, in quo medio cippus ille exstructus est. Recte Fabrettius „stelam" in Hectoris tumulo medio esse cognovit; erraverunt Fabrettius, Begerus, Fogginius[67]), cum dicerent, in ea „clipeum cum leonis symbolo consistere vel suspensum esse." Iahnius[68]) aliique clipeum solum cum signo leonis viderunt angulo applicatum, cippus plane eos fugit. Nequaquam autem clipeum ibi exsculptum esse censeo, qui prae ceteris tabulae clipeis nimis magnus esset; in ipso cippi capite hoc signum leonis exsculptum est, quod idem nuper Benndorfius[69]) cognovit, qui etiam totum hoc sepulcrum nostrum apto nomine *τέμενος* appellavit. — Ante Hectoris sepulcrum conspiciuntur „Talthybius et Troades" [*Ταλθύβιος καὶ Τρωάδες.*] Sunt autem secundum notas incisas deinceps exsculpti in altera parte Talthybius [*Ταλθύβιος*], Andromache [*Ἀνδρομάχη*], Cassandra [*Κασσάνδρα*], Helenus [*Ἕλενος*]; sequuntur in altera parte Hecuba cum Polyxena [*Ἑκάβη - Πολυξένη*], Andromache [*Ἀνδρομάχη*], Helenus [*Ἕλενος*], Ulixes [*Ὀδυσσεύς*]. Talthybius pileo et interula indutus dextrum pedem inferiori sepulcri gradui, laevum superiori imposuit; dextram manum coxendici imposuit; sinistra eius Andromachae umerum attingit sinistrum; Andromache tota vestimento velata infantem maesta manibus tenet in gremio. Hunc Feodorus depinxit, Schul-

67) Fabretti l. l. p. 374; Beger l. l. p. 60; Foggini l. l. p. 393. — 68) Iahn l. l. p. 36. — 69) Benndorf-Niemann, das Heroon v. Gioelbaschi-Trysa, Wien 1889, p. 44.

zius lineas praebet incertas.*) — Cassandra superiore corporis parte incurvata caput dextra tenet; ulna femori est imposita. — Helenus praeter pileum nihil aut non multum indutus habitum ostendit minus maestum quam ceteri captivi, quasi, quaecunque accident, aequo animo sit laturus. Manus aut in gremium remisit aut dextro genui circumdedit similiter atque Mars ille Ludovisianus. In Feodorea imagine erratum est. — Ab altera parte sepulcri Hecuba et Polyxena stant arte coniunctae; mater caput paulum deflectit, Polyxena osculatura id dextra manu capessit. — Andromache deinde gradibus insidet eodem fere habitu quo Cassandra. — Helenus denique magis sine dubio vestitus quam antea cum Ulixe colloquitur, qui tunica pileoque nautarum indutus ante eum stat et corpus deflectit; laeva gestum agit, quasi Heleno aliquid probare velit; Heleni caput est mutilatum.

Ipsum hoc Hectoris sepulcrum et universa figurarum dispositio miro quodam modo consentiunt cum sarcophago illo lugentium mulierum nuper invento[70]), quin etiam singularum personarum — Talthybii, Andromaches, Cassandrae, Heleni, Ulixis — habitus, vestis, gestus et in XVIII mulieribus lugentibus illis et in iis personis reperiuntur, quae in utroque sarcophagi tympano sunt exsculptae, et in iisdem operculi arcae impositi partibus orientem et occidentem versus spectantibus. Quoniam autem sarcophagum Reinachius et alii quarto saeculo iure videntur tribuere, deinde quia forma ratioque etiam alterius fragmenti sepulcralis Athenis inventi[71]), quod similes praebet mulierum positiones, in quartum saeculum referenda est, quod ordines denique ta-

*) Rossbachio auctore Andromache infantem non tenet, sed sinistro bracchio inflexo caput fulsit, dextrum bracchium gremio imposuit.

70) O. Hamdy Bey et Theod. Reinach, Nécropole à Sidon, Paris 1892/93, p. 238—71. — 71) Wolters, Mitteilg. d. arch. Inst. Athen, 1893, p. 1 sqq.

bulae nostrae, quibus Ilias Homeri repraesentatur, similitudinem quandam proferunt cum ectypis heroi Gioelbaschensis[69]), cuius origo exeunti saeculo quinto tribuitur, his causis omnibus inductus sum, ut nostri artificis oculis praeclarissima exemplaria florentissimis Atticae cum picturae tum sculpturae temporibus orta obversata esse existimem, quibus in tabula Iliaca nostra disponenda et conficienda cum gaudio nostro ingeniosissime usus est.

Hectoris a tumulo ad sepulcrum adeamus Achillis [Ἀχιλλέως σῆμα] haud ita dissimile cippis sepulcralibus illis in Lycia inventis. Duabus in gradibus pila exstructa est, cuius fastigium tympanis vel aquilis ornatur. Schulzius haec recte depinxit, Feodorus erravit. Immolatur ibi Polyxena. A laeva parte persona parvae staturae toto corpore nuda camilli fungitur munere et dextra tenet pateram, quam Fabrettius et Fogginius urceolum esse iudicaverunt[72]). Neoptolemi [Νεοπτόλεμος] loricati, galeati paludatique ensis pendet ex latere, pallium longe post tergum volitat; manus eius sinistra caput Polyxenae [Πολυξένη] reprimit, quam dextra manu pugione armata mactare vel iugulare conatur. Polyxena vestimento in crura delapso corpus resupinum utroque cum bracchio in solo fulcit; neque enim bracchia post tergum revincta sunt, sicut secundum Feodorum crederes. Ab altera pilae parte Ulixes [Ὀδυσσεύς] in lapide assidet; vestis a tergo supra caput educta a pectore in femora eius relapsa est. Maestus aut meditans dextram apposuit fronti et tempori. Post Ulixem aequo fere animo Calchas astat sacerdos vatesque [Κάλχας] tunica amictus, de tergo pallium etiam dependet; dextra baculum tenet, laevam coxendici imponit.

Graecorum de castris navalibus [ναύσταθμον Ἀχαιῶν] nihil adiciendum est, nisi quod primae navis in margine

---

72) Fabrettius l. l. p. 379; Fogginius l. l. p. 394.

fortasse fuit inscriptio, incertarum enim litterarum vestigia videntur cognosci posse*).

Vertamus nos denique ad postremam imaginem, ubi Aeneas cum suis navem conscendit [ἀπόπλους Αἰνήου]. Navis remis veloque instructa et militibus est completa, quorum clipeos facile cognoveris. Ponticulus est appositus, in quo primus Anchises barbatus, vestimento plane amictus, capite nudo, ab Aenea in navem infertur manibus tenens aediculam illam; ipsa in navi vir quidam illi suppeditare videtur. Aeneas loricatus capite nudo, cuius pallium longe post tergum volitat, manu trahit puerum Ascanium. Novissimus denique est Misenus, qui pallium in umero sinistro suspendit, dextram maestus capiti apposuit; sinistra gerit tubam, quae super umerum longe prominet. [Μισῆνος-Αἰνήας σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπαίρων εἰς τὴν Ἑσπερίαν]. Fabrettius (p. 375), Beger (p. 64), Iahnius (p. 37), Platner (p. 183), Welcker omnes in ectypo tubam esse cognoverunt, Montefalconius et Schornius a Miseno remum ferri iudicaverunt, Fogginius pendet animi, utrum tuba an remus sit; nihil dicit Millinus, cum exponat, remum a Miseno in umero geri, tubam in latere eius suspensam esse, quod certe ex ectypo non cognovit[73]). Vergilii credo hi versus (Aen. VI, 232—35) ante oculos eorum versabantur:

> „At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
> imponit suaque arma viro remumque tubamque
> monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
> dicitur aeternumque tenet per saecula nomen.“

Sed Miseni pallium, quod de sinistro umero eius dependet in ectypo sicut equitum nostrorum „Attila“ et tubae lineas fere producit, falso tubae cum lineis coniunctum

---

*) Rossbachius inscriptionem non conspexit; primae navis alveum lineis indicari paribus intervallis inter se distantibus.

73) Welcker, Alte Denkmaeler II, p. 196; Montefalcon., Antiquitée expliquée IV, p. 301; Schorn-Tischbein, Homer nach Antiken gezeichnet II, p. 25; Foggini, l. l. p. 395; Millin, galérie mythologique II, p. 89.

esse crediderim; qua de causa tabulae interpretes remum vel gubernaculum a Miseno geri concluserunt. Optime Fabrettius (p. 375) hanc falsam sententiam improbavit ita: „Instrumenti longitudinem tantam non esse, ut remus credi posset, cum ne ipsius quidem Miseni staturam adaequaret. Remos sane navigio iam adaptatos esse et procul dubio longiores fuisse, nec credibile esse, Misenum remum etiam extra navim gestasse, cum tamen tuba ei conventior videretur.“ Praeterea instrumentum est admodum tenue, ut neque supra nec infra remi vel gubernaculi palma exsculpta esse possit.

Haec omnia tabula secundum Iliupersidem Stesichoream repraesentare se profitetur. Quaerendum nunc esse putaverim, num **ignotas adhuc tabulae figuras** aliqua cum probabilitate **interpretari** possimus, referendumque simul, quibus locis mea sententia a ceteris opinionibus discrepet. Neque enim ea de re, quod desunt interdum inscriptiones, concludendum erit, has figuras nobis esse plane ignotas, aut loci aequo tantum modo complendi causa exsculptas, praesertim cum nonnullis locis exiguae inscriptionum reliquiae inveniantur, ut multo plura nomina adscripta fuisse existimandum sit, quam nunc in tabula recognosci possunt arrosa.

Incipiamus igitur nunc a personis certis atque paullatim tunc ad personas reliquas quae titulis deficientibus minus certae sunt, transgrediamur.

Initium capiamus a media Iliupersidis imagine, qua regia aula repraesentatur. Neoptolemi, Priami, Hecubae nomina in dubium vocari vix poterunt; id iam agitur, quae ceterae ectypi sint figurae. Mortuus ille vel moribundus, qui Neoptolemi subter pedes in tergo iacet iuvenis, Priami filius videtur putandus esse, quem Vergilii narra-

tionem (Aen. II, 526—32) secutus Politen esse existimes, qui

„ante oculos et ora parentum
concidit ac multo vitam cum sanguine fudit."

Quare Fabrettius (p. 370), Begerus (p. 59), Montefalconius (p. 301), Schorn-Tischbeinius (II, p. 22) eum Politen appellaverunt, sed crediderim iniuria. Q. Smyrnaeus (XIII, 213—17) Pammonem, Politen, Tisiphonum, Agenorem Priami filios a Neoptolemo occisos esse tradidit, neque vero ante aram et oculos Priami, sed in discrimine pugnae. Nunc autem in alio fragmento Veronae asservato (apud Iahnium littera D signato), quod idem Iliupersidem aliquam depinxit, sed res aliter distribuit atque nostra tabula, inscriptio inest haec: „*Νεοπτόλεμος ἀποκτείνει Πρίαμον καὶ Ἀγήνορα.*" Quoniam deinde aliae complures tabulae Iliacae eundem Theodorum profitentur auctorem, nostra quoque in tabula mortuum illum appellare licebit Agenorem; praesertim cum haec opinio a Pausania affirmetur, qui Iliupersidem a Polygnoto in lescha Delphorum depictam sic descripsit (X, 27,2): *Τοῦ Ἀγήνορος δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν ποιητὴν* [Leschen] *Νεοπτόλεμος αὐτόχειρ ἐστί· καὶ οὕτω φαίνοιτο ἂν Ἔχεκλος μὲν φονευθεὶς ὁ Ἀγήνορος ὑπὸ Ἀχιλλέως, Ἀγήνωρ δὲ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ Νεοπτολέμου.* Homeri iam in Iliade[74]) saepissime Agenoris mentio fit ut viri fortissimi, qui Antenoris Theanonisque ibi est filius et praeter ceteros Troianos virtute excellit.

Sed alia quoque de causa Pausaniae hic locus dignus est, qui commemoretur; etenim cum Pausanias Polygnoti describit imaginem, rerum seriem Lesche et Stesichoro testibus hunc in modum narrat: In Delphorum lescha supra Coroebum depicti sunt Priamus et Axion et Agenor. — Priamus Lesche teste non in ara Iovis mortuus est, sed a Neoptolemo de ara detractus et prope ianuam necatus

74) Hom. Il. XI, 59; XXI, 545; VI, 298. — IV, 467; XII, 93.

est. — Hecuba Stesichoro teste ab Apolline in Lyciam subducta est. — Axion Priami filius Lesche teste necatus est ab Eurypylo Euaemonis filio. — Agenor Lesche teste a Neoptolemo obtruncatus est.

Quare cum Polygnoti imago Priamum, Axionem, Agenorem mortuos illo loco repraesentaret solos, Pausanias ut personas interpretaretur Leschae Stesichorique Iliupersides in auxilium vocavit, quod utrumque carmen eadem fere videtur tradidisse; talem in modum factum est, ut Hecuba quoque in hac parte imaginis Polygnoteae non depicta commemoraretur, quod hac in re sola Leschae et Stesichori Iliupersides inter se discrepuerunt; nam Leschae Hecuba videtur in Thraciam pervenisse serva, Stesichori autem Hecuba ab Apolline in Lyciam subducta est. Quibus rebus in nostram tabulam translatis heroem illum, qui Hecubam crinibus avellit de ara, Eurypylum appellaverim, virum deinde mortuum illum, qui subter pedes eius iacet, Axionem ab Eurypylo prostratum, praesertim cum nominis litterae *A* et *N* in tabula adhuc videantur cognosci posse; spatium quoque paucarum tantum litterarum nomini Axioni sufficeret. Eurypylus iam ab Homero[75]) describitur heros haud contemnendus, qui e Thessalia Ormenios contra Troianos duxit, quin etiam cum Hectore certamen singulare inire ausus est. Quod vero non Eurypylo, sed Ulixi Hecuba postea tributa est serva[76]), hoc parum refert ad hunc locum, quoniam propter capitis tegimentum, quod ceteris Ulixis imaginibus non respondet, figura illa nequaquam Ulixes esse potest.

Axionem Hyginus (fab. 90) quoque inter filios Priami numeravit. Pro viro autem Fabrettii, Montefalconii, Begeri, Fogginii, Millini, Feodori imagines mulierem vel virginem mortuam delineaverunt, quam Feodorus usque ad mammas veste velavit; Fabrettius partes pudendas obtexit solas;

75) Il. II, 734; VII, 167. — 76) Apollodor. (ed. Wagner in mythogr. gr. 1894) V, 24; Dictys V, 13; alii.

quibus rebus et ego initio permotus sum, ut propter Hecubae propinquitatem et concinnitatis causa figuram eam Priami Hecubaeque filiam esse putarem; sic Iahnius (p. 23) et Welcker (A. D. II, p. 193) Medusam esse cogitaverunt. Qui autem imaginem nostram diligentius contemplatus erit, facile concedet, personam plane esse nudam; neque bracchium dextrum capiti suppositum est, sicut Feodorus voluit, sed bracchium utrumque iuxta corpus porrectum est lassum, ut appareat, animam esse efflatam. Mammae muliebres non cognoscuntur, femora carent carnosa illa mollitie muliebri. Meo iure igitur despoliatum esse virum iudico, sicut etiam in urna Vivenziana Priami prope caedem heros quidam in genua procumbit, ut adversarium profligatum exuat armis.[80]) Quid multa? optime Pausaniae verba etiam in ectypum nostrum videntur quadrare. Neque enim Priamus in ara ipsa morietur, quia Neoptolemus pede obnititur Priamo, quem de ara avulsum demum obtruncabit. Sic Stesichorus et hoc et alio loco crudeliora facinora mitigasse videtur. Sculptorem autem Romanae traditionis aut Vergilii nullam habuisse rationem, Priamus testatur plane inermis, nam apud Vergilium[77]) Priamus

„arma diu senior desueta trementibus aevo
circumdat nequiquam umeris et inutile ferrum
cingitur . . . . . . telumque inbelle sine ictu
coniecit",

apud Stesichorum vero senex inermis regio cum ornatu in aram confugit cum crinium fretus canitie reverenda tum loci sanctitate confisus; quam ob rem Fabrettius (p. 370), Begerus (p. 59), alii iniuste huc rettulerunt Vergilii versus, secundum quos Priamus a Neoptolemo ad aram trahitur, ut sancto loco conficiatur (Aen. II, 550—54). Immo res est contraria.

77) Verg. Aen. II, 509—511; II, 544—45.

Tota haec ectypi imago porticibus in suam formam inclusa optime est composita, ut existimem, artificem praeclaro quodam exemplari primo usum esse. Servatum est ad nostra tempora ectypum quoddam maioris moduli, sed huic tabulae parti simillimum; inventum est inter Faesulas et Florentiam oppida, editum ab Henrico Heydemann.[78]) Hae solae sunt differentiae: Priamus sinistra manu sinistram Neoptolemi corripuit, et Hecuba genibus nixa in ara nondnm coniugis collum amplexa est. Conferatur etiam cum imagine nostra scyphus quidam Homericus a Roberto editus[79]), in quo Priamus, Neoptolemus, Agenor, Hecuba secundum Persidem Leschae caelati sunt. Ceterorum, quae de hac re egerunt, artificiorum seriem composuerunt Overbeckius et Heydemannus.[80]) Permulta etiam exstant scriptorum testimonia.[81])

Hecubam inferiore in parte tabulae reperiemus ante sepulcrum Hectoris, ubi supremum valedicit Polyxenae filiae moribundae, priusquam ab Apolline est ablata.[82]) Ulixes enim, qui prope Helenum astat, Graecorum consilium de immolanda Polyxena modo videtur Hecubae nuntiasse, quomodo in Euripidis quoque Hecuba (v. 216—22)

78) Osservazioni sulla morte di Priamo e di Astianatte, Mittheil. d. deutsch. arch. Inst. Roem. Abt. III, 1888 p. 101—112. — 79) Robert, Homerische Becher, l. l. p. 41—45. — 80) Overbeck, G. h. B. I, p. 618—26; H. Heydemann, Iliupersis auf e. Trinkschale des Brygos, Berl. 1866, p. 14, not. 2—3. — 81) Eurip. Troad. 16—17; 481—86. Hec. 21—24 c. schol. ad v. 21; Apollodor. V, 21 et 24; Pausan. X, 27, 2; II, 24,3; IV, 17, 4; Script. rer. myth. ed. Bode I, p. 67; Dictys Cretens. V, 12; Procli chrestom. II, 5 secundum Leschen; Quintus Smyrn. XIII, 220—50; Dares Phryg. c. 41; Tryphiod. 634—36. Tzetz. Posthom. 732—33. — Cf. deinde H. Luckenbach, das Verhaeltniss d. griech. Vasenbilder zu d. Gedichten d. epischen Kyklos, Jahrbb. f. class. Phil., Supplb. XI, p. 630—33; Ios. Anton. Fuchs, de varietate fabularum Troicarum quaestiones, Coloniae 1830, p. 149; H. Heyne, de Priami nece, Exc. XI ad Verg. Aen. II. — 82) Pausan. X, 27, 2.

fit. Nunc ille ceterarum captivarum de fortuna cum Heleno colloquitur, qui Priami Hecubaeque filius miro quodam modo bis Hectoris in sepulcro depictus est, cuius rei causas invenire non potui. Quod apud Seeligerum (p. 39) semel Helena nominata est prope Cassandram sedens, lapsum calami aut typographi crediderim irrepsisse. In altera sepulcri parte Helenus nihil aut non multum indutus aequo assidet animo, in altera parte veste velatus verba facit cum Ulixe. Quoniam autem Ilii excidio minime videtur vexari aut sollicitari, eum in carmine Stesichori hostium Graecorum partibus se adiunxisse existimem, sive Diomedi Ulixique se ultro tradidisse putandus est Aeneae pertaesus et Paridis, qui delubra violasset necato Achille, sive ab Ulixe invitus captus vitam servasse, cum Graecis praedixisset, Ilium expugnari non posse nisi Philocteta praesente, qui sagittas Herculis obtineret, sive Deiphobo Helenam uxorem obtrectans Idam in montem secessisse captusque Graecis rationem et viam aperuisse, qua Ilium expugnari posset.[83])

Polyxenae immolatio, quam Ulixes et Calchas videntur suasisse[84]), a dextra parte imaginis conspicitur. In summa pila, quae Achillis sepulcrum indicat vetustiores tabulae editores parvam figuram depinxerunt iacentem, vel potius finxerunt. Fabrettius (p. 379—80) contendit, „statuam, quae Achillis tumulo illi iacentis habitu imposita cerneretur, ipsam Polyxenam prout immolata esset repraesentare, non vero Achillem, qui militari et recto statu efformari debuisset." Cui opinioni Beger (p. 62) se adiunxit. Tertullianum testem (de pallio 4) a Fabrettio repudiatum Fogginius probavit sic scribentem: „Naturam concussit La-

83) Dictys Cretens. IV, 18. — Lesches in Procli chrestomath; Soph. Philoct. 606—13; 1332—42; — Conon narr. 34. — 84) Eurip. Hec. 129—41; Dictys V, 13; Serv. ad Verg. Aen. III, 322.

rissaeus heros in virginem mutando ille ferarum medullis educatus . . . adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigaeum statua servat." . Quibus verbis permotus Achillis animam in cippo illo iacere Fogginius existimavit, quem Schornius (Tischb. II, p. 24) aliique secuti sunt allatis etiam Euripidis verbis, quae Achillis manes Graecis supra tumulum apparuisse tradunt:

Hec. 90: ἦλθ' ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς
φάντασμ' Ἀχιλλέως

Hec. 37: αἰτεῖ δ' ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν Πολυξένην
τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα καὶ γέρας λαβεῖν.

Accedit, quod in hydria quadam Berolinensi εἴδωλον eius armis alisque praeditum conspicitur (cf. Gerhard, Trinkschaalen und Gefaesse II tab. 16; Overbeck, G. h. B. I, p. 664; tab. XXVII n. 175). Quibus rebus omnibus fortasse nonnulli permoti sunt, ut incertas aquilae vel tympani circumscriptiones pro anima illa Achillis haberent. In dubium vocavit hanc interpretationem tabulae Otto Iahn primus, deinde Heydemannus[85]); postea Iahnius (p. 37, not. 242) in tabulae cippo personam vel animam aliquam inesse plane negavit. Nostrae tabulae imago docet, in cippo nihil inesse praeter tympanum illud. Conferatur cum imagine nostra rursus scyphus Homericus quidam[86]), ubi prius temporis momentum repraesentatum est. Ibi quoque Ulixes virginis pulcherrimae atque fortissimae miseritus, quae iamiam mactabitur, manum obiecit oculis, atque Calchas noster baculo nixus alteram manum coxendici imposuit. Cetera huiusce rei monumenta collecta inspicias apud Overbeckium et Hey-

85) Iahn, Archaeolog. Beitraege, Berl. 1847, p. 141 sqq. c. notis 92—93; Heydemann, Iliup. des Brygos, p. 18, not. 8; p. 29, not. 2.
86) Robert, Hom. Becher p. 73—75.

demannum[87]). A Neoptolemo sic Polyxenam immolatam esse poetae et scriptores permulti tradiderunt[88]), a quibus omnibus discrepat Philostratus, qui Polyxenam ante tumulum Achillis ipsam sibi manus intulisse scripsit.

Ascendamus rursus in oppidum ad templum Veneris, ubi Menelaum et Helenam depictos esse recentiores consentiunt interpretes. E Stesichori poemate quamquam de hac re nihil memoriae nostrae proditum est, Ibycus[89]) tamen, qui brevi post Stesichori tempora floruit, narravit, Helenam ad fanum Veneris confugisse ibique cum Menelao verba fecisse, ita ut ex amore gladium submitteret ille vel proiceret, id quod nonnullis in vasis depictum videmus. Similiter a Stesichoro rem descriptam fuisse e tabula nostra concludo, in qua corpus Helenae supra denudatum fanique [ἱερὸν Ἀφροδίτης] propinquitas nos edocent manifesto, Menelaum et Helenae pulchritudine et loci sanctitate commotum vitae eius esse parsurum. Alii, qui existimavisse videntur, tali imagine non satis demonstrari, vivam Helenam evasuram esse, certiora eius rei documenta frustra quaerere sunt conati: Welcker[90]) affert — neque vero pro certo affirmat — Menelaum gladio non uti, sed gladium post tergum abscondere videri, inductus videlicet falsa Feodori imagine, qui gladii manubrium delineavit solum. Robertus (p. 108), qui ipsum ectypum cum delineationibus

---

87) Overbeck, G. h. B. I p. 661—68; Heydem. l. l. p. 18—19 c. not. 6 et passim. — 88) Arctin. sec. Procli chrest; Sophocl. sec. Longin. 15, 7; Eurip. Hec. 41 c. schol; Troad. 36—41; 624—27; Lycophr. Alex. 523—24 c. schol. Tzetz.; Apollod. V, 23; Verg. Aen. III, 321—24 c. Servio ad v. 322; Ovid. Metam. XIII, 441—83; Pausan. I, 22, 6; X, 25, 10; Hygin. fab. 110; Dictys V, 3; Q. Smyrn. XIV, 180—313; Tzetz. Posth. 496; Nonnii narr. in mythogr. gr. ed. Westerm., appendix narr. 62. — Philostrat. Heroicus p. 323 (Kayser II p. 205). — Cf.: I. A. Fuchs, de varietate fabularum Troic. quaestt. p. 150—51. — 89) schol. ad Eurip. Androm. 631. — 90) Alte Denkmaeler II, p. 193.

comparavit, propter fluitantem galeae cristam conclusit, Menelaum caput retorquere et in tertiam quandam personam respicere; deinde e lineis, quas ipse concedit incertissimas esse, collegit, fortasse Venerem ibi post eum fuisse exsculptam, ea re credo permotus, quod etiam in similibus vasorum imaginibus Venus saepius depicta est; sed in imagine nostra nihil aliud conspicitur, nisi ingens Menelai paludamentum. Porro quod in tabula templum Veneris a dextra parte est, hac quoque Venerem exspectaremus exsculptam fuisse, sive e templo egressa modo Helenam tuetur et Menelaum venerando aspectu solo de conatu deterret, sive ipsius interventu suo Menelaum impedit, quominus uxorem obtruncet. Interventu dixi; an putas, Venerem templo relicto circumrepsisse Menelaum, ut a tergo eum retraheret ab Helena de improviso? Nunc vero in testa catillae fictilis quadam a Carolo Dilthey edita[91]), quae idem nostrum continet argumentum, Amor alatus alter Menelai de palma dependet, qua strictum tenet gladium; alter Amor Menelaum pallio ab Helena retrahere conatur, quae supplex manum ad mentum coniugis porrigit placatura eum; ipse graviter armatus torvo vultu respicit Amores. In aliis quoque huiusmodi monumentis Amores inveniuntur; utrum vero nostra in tabula de iis cogitari possit necne, pro certo diiudicari nequit propter tabulae laesiones. Neque tamen plane illud abest a specie veritatis, cum mihi quoque constare videatur, a Menelao caput esse retortum propter miram galeae structuram. Fieri denique potest, ut Menelaus caput retorserit ad milites, qui Helenam lapidibus voluerant necare apud Stesichorum,[92]) quoniam etiam apud Euripidem Menelaus uxorem his verbis (Troad. 1033 sqq.) affatur, de quibus infra pluribus erit disserendum:

91) Arch. Zeitg. 1873, p. 75—78 c. tab. — 92) schol. Eurip. Orest. 1287.

βαῖνε λευστήρων πέλας
πόνους τ' Ἀχαιῶν ἀπόδος ἐν μικρῷ μακροὺς
θανοῦσ', ἵν' εἰδῇς μὴ καταισχύνειν ἐμέ.

Platnero[93]) teste alii Helenam personam virilem esse existimaverunt, Helenam autem esse figuram illam, quae subter templum humi iaceret. Hos scriptorum testimoniis in eum errorem perductos esse crediderim. Proclus enim in chrestomathia (II, 5) secundum Arctinum Milesium haec narravit: *Μενέλαος δὲ ἀνευρὼν Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηΐφοβον φονεύσας.* Idem Apollodorus (V, 22) tradidit iisdem fere verbis usus. Quae verba falso quodam modo ad nostram tabulam relata sunt, primum quod persona illa, quae ante templum procumbit delapso vestimento, mulier pro certo cognoscitur propter corporis mollitiem muliebrem; deinde, quod figura illa, quae subter templum humi iacet, nequaquam cum personis superioribus cohaerere potest propter totam tabulae dispositionem. Robertus,[94]) cui assentior, fabulae formam novam a Stesichoro inventam esse putavit: Apud Leschen et Arctinum sola Helenae pulchritudine Menelaum permotum esse, ut de caede uxoris desisteret; a Stesichoro tunc primo Veneris interventum esse commemoratum, atque alteram fabulam ab illo in vulgus translatam esse, quod, cum lapides conicere vellet in mulierem perfidam, pulchritudine eius deterritum esse.[92]) Heydemannus et Konstas sententiam prorsus contrariam protulerunt et hanc tabulae nostrae imaginem omnino abrogaverunt Stesichoro; quod quo iure fecerint, infra quaeramus.

De variis huius fabulae formis dixerunt Antonius Fuchs et Henricus Luckenbach, monumentorum seriem composuerunt Overbeckius et Heydemannus.[95])

93) Platner, Beschreibg. d. Stadt Rom III, 1, p. 183. — 94) Robert, Bild und Lied p. 76—79. — 95) Arctin. in Procli chrestom. II;

Ad sinistram nunc templumque ibi positum accedamus. Quas hoc loco conspicimus figuras Iahnius (p. 35) propter ambarum tabularum similem rationem dispositionemque cum alio fragmento contulit Parisino littera E apud eum significato; sed fragmenti E personae illae mihi in prima potius tabulae nostrae zona videntur exsculptae esse, ubi Aiacem et Cassandram et sagittarium quendam prope templum Minervae cognoscimus. Errat autem Iahnius, si putat, ante sinistrum templum heroem chlamyde sola vestitum, reliquum corpus nudum esse. Facile et perspicue lorica cognoscitur, quae ventrem et femora obtegit. Quia Minervae et Veneris templa iam certo definire potuimus, cum Begero (p. 57) hoc fortasse Apollinis templum esse censuerim, cuius dei delubrum Troiae fuisse Homerus narrat.[96]) Odofredus Mueller etiam contendit,[97]) „vix ullam Graeciae partem tot Apollinis sacris et delubris idolisque priscas religiones referentibus antiquitus fuisse ornatam quam litus Troadis". Affert ille templum Cillaeum in sinu Adramytteno situm, delubrum Chrysae Iliade celebratissimum, Smintheum, Tenedium, oraculum Thymbraeum, aedem denique in ipsa arce Pergamo Apollini cum Latona et Diana communem. Quam ob rem nihil nos impedit, quominus templum Apollinis in tabula exsculptum esse concludamus. Accedit, quod mulierem ibi exsculptam Andromachen esse existimo, cuius

Lesches et Ibycus sec. schol. Aristoph. Lysistr. 155—56; Eurip. Androm. 618—20 (ed. maior Kirchhoffii) c. schol. ad v. 631; Troad. 1030—35; Orest. 1282 c. schol. ad v. 1287; Aristoph. Vesp. 714 c. schol. ad v. 734 (712); Verg. Aen. VI, 523—27 cum Heynei de Helena recepta exc. XII ad lib. II; Pausan. V, 18, 3; Dictys V, 14; Q. Smyrn. XIII, 385—415 c. Tychseni prolegom. p. LXXIV sqq. — Fuchs, de var. fab. Troic. p. 149—50; Luckenbach, Griech. Vasenb., p. 633—35; Overbeck, G. h. B., p. 620; 626—32; Heydemann, Iliup. d. Brygos, p. 30 not. 4; p. 33 et. 36. — 96) Hom. Il. IV, 507; V, 445—48 c. schol. — cf. Eurip. Hel. 1512; Orest. 1380; Iphig. Aulid. 755; Q. Smyrn. XIII, 443. — 97) Odofr. Mueller, criseos mythologicae specimen, Classical Journal XXVI, 1822, p. 313.

coniugem fuisse filium Apollinis Stesichorus tradidit Tzetza teste[98]): *Στησίχορος γὰρ καὶ Εὐφορίων καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς ποιητής φασι τὸν Ἕκτορα υἱὸν εἶναι Ἀπόλλωνος.* Andromachen autem inter caedem aufugere ad templum Apollinis soceri facile est intellectu.

Aliter rem tractavit Euripides, quem cum aliis in rebus tum in Troianis Stesichori carmina, quantum quidem fieri potuit, secutum esse constat[99]). Nam et in Hecuba (915—18) et in Troadibus (553 sqq.) Euripides mulieres Troianas hostibus inrumpentibus ad Dianae signum confugisse narravit, unde etiam Andromachen cum Astyanacte abripi conspexerunt a Neoptolemo (Troad. 569). Quid ergo? Apollinis an Dianae templum in tabula exsculptum esse censes? Apollini Dianae Latonaeque matri commune delubrum in arce Troiae Pergamo fuisse concludo ex Iliadis libro quinto (445—48), ubi Latona et Diana Aeneae ab Apolline servato et deposito consulunt atque medentur. Quidni eodem modo Stesichorus egit? Nam delubra talia, Apollini, Dianae, Latonae communia saepissime commemorantur[100]).

Sententiae meae, Andromachen hoc loco esse exsculptam, probabilitas augetur etiam ea re, quod, sicuti supra demonstrare coepi, mulieris lateri adhaeret infans, Astyanax scilicet filiolus. Quas infantis lineas non ita perspicuas Fabrettius falso ad mulieris bracchium pertinere coniecit; hanc humi sedentem depinxit ille ita, ut a tergo eam videamus; miles loricatus chlamydeque vestitus guttur mulieris sinistra capessivit sica iugulaturus eam, quae dextra

---

98) Tzetz. ad Lycophr. Alex. 266; cf. schol. Hom. Il. III, 114, et Eustath. schol. ad. Il. XII, 258, p. 1348. — 99) Maximilianus Mayer, de Euripidis mythopoeia capita duo, diss. Berol. 1884, p. 58 et 51: „Iliupersidis Stesichoreae certissima in Troadibus deteximus vestigia.“ — 100) cf. Preller, mythologia gr. 1894, I, p. 233 (190) c. not. 4; p. 298 (238) c. not. 3.

bracchium hostis reprimere conatur; sinistra nititur solo. Nostra autem in imagine dubitari non potest, quin feminam in genua collapsam a fronte intueamur; quod vero Fabrettius bracchium demissum putaverat recognosci, et recentiores interpretes bracchium ad caelum elatum depinxerunt, eam ob rem meam interpretationem a veritate minime abhorrere crediderim, mulierem altera manu manum capessere adversarii, alterum bracchium tollere in caelum, atque infantem Astyanactem lateri eius se applicare. Recte enim Feodorus et Schulzius dextrum mulieris bracchium depinxerunt elatum; deinde quod levem circumscriptionem pueri, cuius caput et corpus tamen optime internosci possunt, non dispexerunt, hic in delineatione sua lineas plane dubias atque incertas notavit, ille dextrum feminae genu incredibili quodam modo continuavit et produxit, ut aliquid fieret.

Augetur fides sententiae meae ea re, quod in lecythio quodam in magna Graecia reperto[101]) Andromache depicta est, quae filium arte complexa raptim confugit in aram oculis ad hostem instantem retortis. In tabula matrem et filium vivos evasisse, inferior tabulae imago nos edocet, ubi Andromache cum aliis captivis in gradibus sepulcri Hectoris sedet maesta infantemque Astyanactem gremio tenet. Sunt qui negent, Astyanactem exsculptum esse in gremio Andromachae, sed cum in omnibus Fabrettii, Feodori, Schulzii delineationibus tum in nostra imagine infans facile cognoscitur.

Overbeckius[102]) eiusdem argumenti monumenta quattuor collegit. A Polygnoto quoque in lescha Delphorum depicta erat (Paus. X, 25, 4) *Ἀνδρομάχη, καὶ ὁ παῖς οἱ προέστηκεν ἑλόμενος τοῦ μαστοῦ.* Andromache haec captiva cum Astya-

---

101) ed. R. Rochette, Mon. inéd. 49, 3, p. 327; cf. H. Heydemann, Iliup. d. Brygos, p. 15. — 102) Overbeck, G. h. B. I p. 404—6; cf. Heydemann, Iliup. d. Brygos, p. 13.

nacte etiam in argenteo poculo[103]) repraesentata est Monachii asservato, ubi etiam aliae mulieres duae cum lactentibus infantibus conspiciuntur. Adde scriptorum testimonia[104]): Non iam negabis, in nostra quoque tabula Andromachae filiolum esse exsculptum.

Eadem in hac sententia plurimi nunc permanent tabulae interpretes[105]), et Talthybium Agamemnonis praeconem[106]) advenisse putant, ut certiorem faciat Andromachen, filium eius e consilio Graecorum necatum iri. Optime denique congruit tabulae imago Euripidis cum Troadibus (v. 711 sqq.), ubi Talthybii cum Andromacha altercatio exstat. Quae omnia tabula ipsa demonstrantur, quia in altera parte sepulcri Andromache sedet filiolo privata. Huius Andromachae et Cassandrae habitus miram quandam ostendit similitudinem cum ectypo quodam sepulcrali, Athenis invento, quod nuper edidit Paulus Wolters.[107]) Tres ibi mulieres lugentes exsculptae sunt, e quibus sinistra Cassandrae et Andromachae nostrae habitum fere adaequat. Maesta assidet illa et totum corpus veste velavit, ut prima oris pars sola ex illa promineat, atque etiam amplius lugens illa vestimentum manu sinistra supra os detrahere conatur; dextrum bracchium in femore iacet. Propter hanc manus sinistrae positionem O. Rossbach tabula ipsa inspecta putavitapud primam ectypi nostri Andromachen

103) Abhandlg. d. I. Cl. d. Kgl. Akad. d. Wissenschaften zu München, V, 2. — 104) Eurip. Troad. 711—735; Androm. 10, c. schol.; Ovid. Metam. XIII, 415—16; Hygin. fab. 109; Q. Smyrn. XIII, 251—53; XIV, 21. Cf. notas huius dissertationis 78 et 81; Overbeck, G. h. B. I, p. 621—26; Fuchs, de var. fab. Troic. p. 151. — 105) Fabretti, p. 378; Montefalcon. IV, 2, p. 302; Tischbein II, p. 23; Iahn p. 36; Robert, A. Z. 1874 p. 109; Heydem. Iliup. p. 30; Platner, Beschreibung Roms III, 1, p. 138; Welcker, Alte Denkm. II, p. 194. — 106) Hom. Il. I, 320—21; III, 118; Ovid, Her. III, 9. — 107) Mitteilungen d. deutsch. archäol. Instit. Athen 1893, p. 1, tab. 1. Conferas etiam Penelopen Vaticanam apud Overbeck, Plastik I[3], p. 196 et ancillas lugentes collectionis Saburoff.

non Astyanactem sed manum illam exsculptam fuisse. Quae ita esse, ea de causa negaverim, quod in gremio Andromachae perspicue cognoscuntur globuli duo inter se cohaerentes, qui mea opinione manifesto caput et corpus infantis significant, praesertim cum respiciamus eas personas, quae sunt ante templum Apollinis Dianaeque.

Astyanactis nex opinione mea est depicta in oppido iuxta portam. Puer discerni potest in genua collapsus, qui manum laevam demisit, dextra fortasse bracchium corripuit hostis in ectypo fere diruti; nihil enim relictum est, nisi alterum crus. Sic Astyanactem consilio Argivorum in oppido crediderim mactatum esse apud Stesichorum. Pausanias (X,25,4.) enim haec tradidit: *Τούτῳ* (Astyanacti) *Λέσχεως ῥιφέντι ἀπὸ τοῦ πύργου συμβῆναι λέγει τὴν τελευτήν, οὐ μὴν ὑπὸ δόγματός γε Ἑλλήνων, ἀλλ' ἰδίᾳ Νεοπτόλεμον αὐτόχειρα ἐθελῆσαι γενέσθαι.* Quod vero aperte enuntiat ille, Lesche auctore Astyanactis de nece nullam a Graecis contionem esse habitam, deinde quod scholiasta ad versum decimum Andromachae Euripideae adnotat[108]), Stesichorum de morte Astyanactis egisse, neque vero de muro eum deici fecisse, concludi fortasse poterit, Stesichorum tradidisse, Argivorum e consilio obtruncatum esse Astyanactem, itaque priorum scriptorum immanitates lenivisse, e quibus alii eum de muro deici fecerunt, quod mortis genus Homeri Andromache videtur iam divinasse[109]), alii eum etiam ad aram *Διὸς Ἑρκείου* allidi fecerunt a Neoptolemo. Idem atque ego Seeliger (p. 40) fere conclusit. In ipsa deinde contione Ulixes fortasse Astyanactis mortem suasit, nam (Eurip. Troad. 722): *νικᾷ δ' Ὀδυσσεὺς ἐν Πανέλλησιν λέγων*; huc

108) *Στησίχορος μέντοι ἱστορεῖ ὅτι τεθνήκοι, καὶ τὸν τὴν Πέρσιδα συντεταχότα . . . . ποιητήν, ὅτι καὶ ἀπὸ τοῦ τείχους ῥιφείη.* — 109) Hom. Il. XXIV, 732—33; Apollodor V, 23.

etiam optime sententia illa referri potest, quae (Arctini) continetur hoc versu[110]):

νήπιος ὃς πατέρα κτείνων παῖδας καταλείπει,

qui optime quadrat in ceteram Ulixis calliditatem, providentiam, versutiam.

Quis ceperit Andromachen, quis mactaverit Astyanactem apud Stesichorum pro certo diiudicari vix poterit. Quoniam autem Ulixe auctore et suasore Astyanactis nex decreta est, nihil obstat, quominus Astyanactem necandum quoque Ulixi apud Stesichorum permissum esse iudicemus, sicut Arctinus narravit una cum Tryphiodoro et Tzetza.[111]) Andromachen autem captam et ad naves abductam esse a Neoptolemo crediderim, quod cum mythographi vulgo consentiunt, eam Neoptolemo praemium concessam esse, tum Euripides et Lesches dilucide narrant[112]), Andromachen a Neoptolemo ad naves deductam esse captivam. In tabula igitur Iliaca haud scio an tituli *Νεοπτόλεμος* et *Ὀδυσσεὺς* suis locis supplendi sint.

Initio Hectoris in sepulcro medio ingentem clipeum cum signo leonis inesse putaveram, qui nos Astyanactis de sepultura doceret. Euripidis enim in Troadibus (v. 1181 sqq.) Andromachae conceditur, ut filiolum obtruncatum sepeliat, ibique Hectoris clipeus filii quasi fit arca:

ἀλλ' οὖν πατρῴων οὐ λαχὼν ἕξεις ὅμως
ἐν ᾗ ταφήσῃ χαλκόνωτον ἰτέαν.

Cum Iahnio aliisque in hunc errorem incertis Feodori et Schulzii delineationibus inductus sum. In nostra imagine statim cognoscitur, clipeum neque tumulo impositum, neque muri ad angulum acclinatum esse, sed hoc ipsum esse caput cippi ab omnibus partibus muris inclusi, ut pluribus supra

110) Clem. Alexandrin. strom. VI, p. 747; cf. Welcker, Ep. Cycl. II, p. 187; kl. Schr. I, p. 357; Aristoph. Ran. 1451. — 111) Arctin. sec. Procli chrestom. II, 5; Tryphiod. Iliup. 644—46; Tzetz. Posth. 734. — 112) Eurip. Troad. 569—78; Lesches apud Tzetz. in Lycophron. Alex. 1263.

exposui. De signo leonis iacentis nequaquam potest dubitari.[113])

Iuxta portam supra dixi Astyanactem puerum cognosci in genua collapsum. Alii aliter de hoc tabulae loco iudicaverunt interpretes. Plane in dubio relinquitur res a Roberto (p. 108), qui a laeva parte Demophontis certo exsculptam fuisse figuram quandam arbritatur, neque vero quidquam certi de positione eius discerni posse. Welcker mulieris figuram cognoscere sibi videtur,[114]) quam titulo deficiente Venerem appellavit, quod eam in discessu Aeneae desideravit. Sed Venere desiderata potius quam circumscriptione mulieris conspecta eum ad hanc sententiam pervenisse crediderim, quam Platner[113]) temere est secutus Vergilii memor. Heydemannus[115]) quoque tabulae locum interpretans aliorum iudicia fusius explicavit incertis videlicet imaginibus adhibitis: Venerem divina quadam cum tranquillitate astare in muro, et Aeneam contemplari a se servatum; hanc aptissimam esse significationem mulieris, quae supra murum astaret. Neque vero e dubiis ectypi lineis, sed sua sponte suoque arbitrio figuram explanare conatus est. Quo iure alii Venerem dixerunt, eodem iure Seeliger (p. 38) Clymenen hanc figuram appellavit. Beger (p. 58) denique iudicavit, Calchanten vatem esse fortasse senem eum, qui intra murum et iuxta portam astaret atque Graecos a persecutione Aeneae cohibuisse commemoraretur a Quinto Smyrnaeo (XIII, 333 sqq.). Interpretationes maxime profecto inter se diversae! omnes enim interpretes peccaverunt, quia videlicet non ipsius ectypi lineas incertas atque obtusas enucleare et recognoscere studuerunt, sed id tantum perscrutati sunt aut coniecerunt, quam personam a scriptoribus allatam aliquo cum iure in hunc locum referre

---

113) Iahn, p. 36 cum not. 237; Platner Beschreib. Roms III, 1, p. 183; Schorn-Tischbein II, p. 23, not. 23. — 114) Alte Denkm. II, p. 191. — 115) Iliup. d. Brygos p. 31 cum not. 3.

possent, quem lacunam esse leviter existimaverunt. Iahnius p. 34) incertissimis lineis fortasse personam quandam significari exposuit et recte cognovit, delineationes hoc loco omni fide carere. Nostra imagine priores conturbantur sententiae, quod lineae parvi pueri, quem Astyanactem esse putaverim, diligenti spectatori apparere videntur.*)

Dextra Demophon et Acamas conspiciuntur, e quibus ille Aethram bracchio tenet, cui nomen *Αἶσα* falso adscriptum est. Et alii eius mentionem fecerunt scriptores, et ipse Homerus (Il. III, 144 sqq.) narravit, eam una cum Clymene Ilii servam Helenae fuisse; si autem Clymenen Stesichorus in captivis enumeravit certo teste Pausania (X, 26, 1), Aethram quoque ab eo nominatam esse crediderim. Recte fortasse Welcker (A.D.II, p.194) hunc in locum rettulit ea, quae Stesichorus de Helenae Theseique coniugio narravit;[116]) sunt enim Demophon et Acamas Thesei filii, Aethra Thesei mater. Iure tunc etiam Stesichorus *βίγαμον, τρίγαμον, λιπεσάνορα*[117]) appellavit Helenam, quae Thesei, Menelai, Paridis, Deiphobi uxor fuit.

Non intellego, cur Robertus[118]) hanc Thesidarum Aethraeque fabulam tanquam Atticam Stesichoro abrogare velit, cum tanta sit multitudo scriptorum,[119]) qui rem in tabula exsculptam commemoraverunt. Homerus et ipse iam narravit, Aethram et Clymenen Ilii servas fuisse Helenae. Seeliger[120]) tabulam Stesichorique hanc fabulam suo

116) Paus. II, 22,6 = Bergk, Stes. 27. — 117) schol. Eurip. Orest. 249 = Bergk, Stes. 26. — 118) Bild u. Lied, p. 75—76; 72—73. — 119) Arctin. sec. Procli chrestom. II, 5; Lesches apud Paus. X, 25,7; X, 26,1; X, 26,1; (Eurip. Hec. 121); Apollodor V, 22; Hygin. fab. 79; 92; (Verg. Aen. II, 262); Ovid. Her. XVII, 267—68; Plut. Thes. 34; Pausan. I, 23, 8; II, 19, 2—3; Dictys 5,13; Quint. Smyrn. XII, 325—26; XIII, 496 sqq. (Thryphiod. Iliup. 660; Tzetz. Posth. 674). — 120) l. l. p. 38—39.

) Sed vide, quid Rossbachius ipsa tabula nuper examinata dispexerit p. 42 adnot. huius commentationis. Iure tunc Seeliger propter Aethrae propinquitatem fortasse Clymenen hoc loco exsculptam esse scripsit (cf. p. 63).

iure defendit. Artis monumenta[121]) composuerunt Overbeckius et Heydemannus.

Dextrorsum pergentes sine ullo dubio duas mulieres recognoscere possumus, quas Helenae propinquitate permotus fortasse Electram et Panthalidem appellare velis, quas Pausanias (X, 25, 4) Helenae servas fuisse refert. Sed minime hae figurae cum superiore tabulae ordine possunt coniungi. Schornius[122]) superiorem personam Phisadien vel Thisadien, Pirithoi sororem nominavit, quod nihil aliud nisi alterum Clymenes nomen esse existimaverim, cum idem de Phisadie atque de Clymene tradatur[123]). Quod vero Clymene una cum Aethra capta est, cum Schornio facere non possum, quoniam haec persona cum ceteris sinistrae partis figuris minus cohaeret. Robertus (p. 108) quidem in ectypo ipso nihil certi cognovit, ruinamque aut rudera aedificiorum repraesentata fuisse cum Matzio opinatus est. Heydemannus nostram mulierem humi sedentem maestissimam, cuius habitum Gallo illi moribundo non ita dissimilem esse recte Iahnius commemoravit, miro quodam modo Helenam appellavit (p. 30 et 35), et ea, quae ante fanum Veneris accidunt in tabula, una cum Konsta Stesichori carminibus abrogavit, quod quo iure fecerit, infra docebo.

Ego Medusam eam significaverim, quam Stesichorus Priami filiam dixit teste Pausania[124]), praesertim cum sententiae meae probabilitas augeatur altera causa, quia Polygnotus quoque in lescha Delphorum sic fere depinxit Medusam. Tunc artifex rationem et formam imaginis traditae fere retinuit.

121) Overbek, G. h. B. I, p. 618—19; Heydemann, Iliup. d. Brygos, p. 22 not. 3; cf. p. 17—18, 21—22, 35. — 122) Schorn-Tischbein. l. l. II. p. 23 cum not. 23. — 123) Hygin. fab. 79 et 92. Rossbachius in corrupto nomine „Pisidicen“ latere putat. — 124) Pausan. X, 26, 9 = Bergk, Stes. 21; Apollodor III, 12, 9.

Quae subter hanc est femina corpore resupino haud scio an Medusae propter propinquitatem Polygnotum secuti Laodicen appellare possimus, de qua Pausanias haec tradidit (X, 26, 7): *Τοῦ βωμοῦ δὲ ἐπέκεινα Λαοδίκην ἔγραψεν ἑστῶσαν· ταύτην οὔτε ὑπὸ ποιητοῦ κατειλεγμένην ἐν ταῖς αἰχμαλώτοις ταῖς Τρωάσιν εὕρισκον, οὔτε ἄλλως ἐφαίνετο ἔχειν μοι τὸ εἰκὸς ἢ ἀφεθῆναι τὴν Λαοδίκην ὑπὸ Ἑλλήνων . . . . Εὐφορίων δὲ ἀνὴρ Χαλκιδεὺς σὺν οὐδενὶ εἰκότι τὰ ἐς τὴν Λαοδίκην ἐποίησεν. Ἐφεξῆς δὲ τῇ Λαοδίκῃ . . . Μέδουσα . . . κάθηται· ἐν δὲ ταῖς Πριάμου θυγατράσιν ἀριθμῆσαι τις ἂν καὶ ταύτην κατὰ τοῦ Ἱμεραίου τὴν ᾠδήν.*

Tradidit igitur Stesichorus, „etiam" Medusam filiam esse Priami, quod idem de alia muliere ab eo traditum esse propter verba „*καὶ ταύτην*" existimandum est; antecessit autem Laodices nomen, quam, si Pausaniae verba sequimur diligentissime, nullus poeta captivam abductam esse a Graecis commemoravit, praeter Euphorionem. Quid ergo? Egit Stesichorus de Laodice, non egit de Laodice ita ut Euphorion Chalcidensis, qui eam inter captivas numeravit solus. Duae deinde aliae fabulae formae exstant, e quibus altera narrat, Laodicen vivam a Terra esse devoratam[125]), altera, Laodicen a Graecis libertatem adeptam esse. Illam fabulam Pausanias et Stesichorus videntur ignorasse; hanc autem, Laodicen a Graecis liberam dimissam esse, Pausanias pluribus verbis exposuit atque probare conatus est allato etiam Stesichori nomine. Neque hoc a probabilitate videtur abesse, quoniam constat, Ilii in excidio temperatum esse familiae Antenoris, qui Ulixem et Menelaum Helenam repetituros hospitio acceperat, qui pactus erat de Paridis et Menelai certamine singulari, qui post Hectoris cum Aiace certamen in contione suaserat, ut Helena cum thesauris oblatis

125) Lycophron. Alex. 497 c. schol. Tzetz.; Apollodor, V, 25; Nicolai prog. 2, 1, p. 269 in mythogr. graec., ed. Westermann; Quint. Smyrn. XIII, 544—550; Tryphiod. 660—663; Tzetz. Posthom. 736.

Graecis redderetur[126]). Eam ob rem Graeci in porta Antenoris pellem pantherinam suspenderant, quae signum esset, ut domui illi parceretur[127]). Concludimus apud Stesichorum quoque toti familiae illi temperatum esse. Est autem Laodice Priami Hecubaeque filia, uxor Helicaonis; Helicaon et Agenor Antenoris sunt filii. Neque tamen mirabimur, Laodicen Troiae excidio periculisque perterritam humi se prostravisse maestissimam.

Miro quodam modo apud Quintum Smyrnaeum quoque narrationem de Aethra a nepotibus reperta sequitur fabula Laodicea, atqui valde abrupte, quomodo Kehmptzowio[128]) est visum, qua re liber ille (XIII) minus bonum haberet exitum. Difficultatem Kehmptzowius ita explicavit: In fonte mythographico Quintum iuxta Demophontem et Acamantem Laodicen invenisse commemoratam fatumque eius enarratum, quia cum altero utro ex iis concubuisse atque filium nomine Munitum Aethrae educandum tradidisse diceretur[129]). Quoniam autem sine dubio tabulae nostrae auctor item summario quodam mythographico usus est, a vero non modo non abhorrere, sed etiam admodum verisimile mihi videtur esse, qua de causa apud Quintum eadem etiam nostra in tabula Laodicen prope Aethram, Demophontem, Acamantem conspici.

Quae interpretatio mea si cui minus videtur probabilis esse, fortasse etiam de Iliona cogitari potest. Feminae corpus enim resupinum pone videtur relabi quasi plaga accepta mortifera; neque tamen adversarius quisquam in-

126) Hom. Il. III, 207; 262; VII, 347. — 127) Sophocl. apud Strab. XIII, p. 608; Liv. I, 1; Verg. Aen. I, 242—49 cum Serv. ad v. 246; Pausan. X, 27, 3; Quint. Smyrn. XIII, 293—99; Tryphiod. 656; Eustath. in Hom. Od. III, 264 sqq., p. 405. — 128) Franciscus Kehmptzow, De Quinti Smyrnaei fontibus ac mythopoeia, diss., Kiliae 1891, p. 70. — 129) Hegesippi Milesiaca ap. Parthen. narr. amat. 16; Plut. Thes. 34; Lycophron. Alex. 494—98 c. schol.; Tzetz. Antehom. 156; cf. Kaibel, Herm. XXII, p. 507.

veniri potest, a quo plagam illam acceperit. Quid ergo? Tunc ipsam manus sibi intulisse concludo; atque si fabularum traditarum perlustraverimus multitudinem, unam invenerimus virginem Troianam, quam ipsam sibi mortem conscivisse constat: Ilionen dico, quae maxima fuit natu filiarum Priami Hecubaeque.[130]) Hyginus propter casus parentum ipsam se obtruncasse refert, atque fortunam eius non ita ignotam fuisse posteris inde intellegitur, quod Pacuvius et Accius hoc argumento usi tragoedias scripserunt. Permire accidit, quod Iliones nomen a latinis scriptoribus solis memoriae nostrae est proditum, qui sine dubio fabularum hoc argumentum e fontibus hauserunt Graecis.

Quomodocunque res se habent, melius hanc personam Laodicen, quam Ilionen appellari putaverim.

Summa in arce Aiax Cassandram crinibus de gradibus templi revellit, quam ad rem referri possunt scholiastae ad Homeri Iliadem (XV, 333) verba: *Τὸν Ὀϊλέα Ζηνόδοτος ἑπόμενος Ἡσιόδῳ καὶ Στησιχόρῳ χωρὶς τοῦ ο ὀνομάζει Ἰλέα.*[131]) Neque deae simulacrum ab Aiace devulsum, neque Cassandram ab eo stupratam esse in fano apud Stesichorum, ex ectypo ipso sequi videtur, quod neque simulacrum deae conspicitur, et Cassandra veste plene est amicta.[132]) Qua de causa errare putaverim Fabrettium (p. 370), Begerum (p. 58 et 61), Fogginium (p. 391), alios, qui Cassandram propter virginitatem ereptam auxilium petere a Minerva iudicaverunt. Infra captivam Cassandram lugentem Hectoris in sepulcro videmus.

130) Hygin. fab. 243; 90; 109; Hor. Sat. II, 3, 61; Cic. Tusc. I, 44, 106; Cic. Acad. prior. II, 27, 88; Verg. Aen. I, 653 cum Servio. Cf. Heyne, de Ilione, Exc. XXIV ad Verg. Aen. lib. I. — 131) Bergk, PLG Stes. 84; cf. Eustath. ad Hom. Il. II, 527, p. 277; XV, 333, p. 1018. — 132) Robert, l. l. p. 108.

Aiacis et Cassandrae permulta monumenta nobis servata sunt cum scriptorum[133]) tum artificum, quae collegerunt Overbeckius et Heydemannus.[134]) Quod vero cum Welckero[135]) Heydemannus (p. 30 not. 1) observavit, iam ante portam Scaeam Cassandram vatem ab Aiace corripi in ima tabulae nostrae zona, quae Leschae parvam Iliadem repraesentat, non recte fecit. Aut Aiacis scelus tali modo etiam a Lescha mitigatum esse existimaverunt, aut has figuras pro toto Ilii excidio esse depictas. Erraverunt, quia hoc loco non captivam Cassandram videmus, sed vatem Cassandram divino quodam afflatu in furorem quasi concitatam, quae vaticinationibus suis Troianos deterrere atque monere conatur, ne equum ligneum intra muros recipiant.[136])

In hac zona suprema iuxta porticum sinistram vir quidam in summo vitae discrimine depictus est, quem tamen vivum e periculo evasisse concludo. Neque enim gladium aut pugionem strinxit adversarius eius victor, ut in aliis fit tabulae personis, sed dextrum bracchium eius dependet laxum atque promissum. Quoniam autem Antenoris familiae soli in Iliuperside est temperatum, vir noster periclitans fortasse Helicaon Antenoris filius habendus est, quem Lescha[137]) auctore proelio nocturno vulneratum ab Ulixe demum recognitum et servatum esse compertum habemus.

Nunc ad eam imaginum transeamus seriem, quibus Aeneas cum suis repraesentatur. Atque primum in ima

---

133) Arctin. in Procli chrestom. II; Eurip. Troad. 69—70; Apollod. V, 22; Verg. Aen. II, 403—406; Pausan. I, 15, 2; V, 19, 5; X, 26, 3; Dictys V, 12; Quint. Smyrn. XIII, 422; Tryphiod. 165—67; 647—48; Tzetz. Posth. 733. — Cf. Fuchs, de var. fab. Troic. p. 151; G. Heyne, Cassandra raptata, exc. X* ad Verg. Aen. lib. II. — 134) Overbeck, G. h. B. I, p. 618; 620; 635—55; Heydem. Iliup. d. Brygos, p. 29, not. 3—4, p. 33—37. Cf. etiam scyphos Homericos a Roberto (Hom. Becher, l. l. p. 69) editos. — 135) Episch. CyclusII, p. 246. — 136) Cf. Th. Schreiber, Herm. 1876, p. 317. — 137) Pausan. X, 26, 8; X, 27, 2.

oppidi parte conspicitur Aeneas, cui a viro quodam sacra dantur in manus. Hunc non sine iure sacerdotem esse existimes. Vergilius[138]) hac in re Panthum nominavit, quem Peneleus insequitur et obtruncat. Panthi filiorumque iam apud Homerum[139]) fit mentio, neque vero hoc loco de Pantho cogitari potest propter litteras *Ω N* in tabula huic personae subscriptas*), quibus nomen eius terminatum erat. Duo autem nomina mihi tunc tantum in mentem venerunt fabulas perscrutanti, quae in *ων* excidunt et hunc in locum possunt referri: Ucalegon et Pammon. Utriusque nominis in Iliade fit mentio; Ucalegon *δημογέρων* ibi cum Priamo aliisque viris in Scaea porta sedet Menelai Paridisque certamen singulare spectaturus; siquidem per aetatem militia fungi non iam poterat, haud contemnendus tamen contionator consiliique auctor erat.[140]) Priami vicinus est apud Vergilium. Pammon deinde Priami Hecubaeque filius apud Quintum Smyrnaeum a Neoptolemo obtruncatur.[141]) Ex his igitur nominibus incertissimis si alter utrum volumus eligere, Pammonem praefero, quia Priami filius est. Praeterea tabulae locus non sufficeret, si Ucalegontis nomen inscribere vellemus, quoniam litterae *ων* solae tertiam partem spatii eius occupaverunt, quod inter moenium turres titulo est destinatum, ut reliquis septem litteris locus deficeret; Pammonis nomen vero optime in lacunam illam quadraret. Tunc ea persona, quae vestigia eius premit, fortasse Neoptolemus esset.

Altera interpretatio sine dubio reicienda est haec: Franzius (C. I. G. III, p. 849), Platner (p. 179), Welcker (Alte Denkm. II, p. 190), Heydemannus (p. 31), Beger (p. 58),

138) Verg. Aen. II, 318 sqq., c. Servio ad v. 318; II, 425—430. — 139) Hom. Il. III, 146; XVII, 9; 23; 40; XVI, 808; XV, 522; schol. in Il. XII, 211; Dares Phryg. c. 8. — 140) Hom. Il. III, 148; Verg. Aen. II, 312; Iuven. Sat. III, 199. — 141) Hom. Il. XXIV, 250; Apollodor III, 151; Quint. Smyrn. XIII, 214; cf. VI, 317; 562.

) cf. p. 41 adnot..

Fogginius (IV, p. 393), Montefalconius (p. 301), Schornius (l. l. p. 23) existimaverunt, Aeneam Anchisae patri aut Anchisen Aeneae tradere aediculam illam hostibus instantibus; ex imagine nostra concluderes, Aeneae eam tradi ab Anchisa, nisi reliquiae tituli *ων* obstarent. Praeterea uterque vir cursu se proripit rapidissimo; cur igitur necesse fuit, ut Aeneas senem tam strenuum atque velocem umeris tolleret itaque fugae celeritatem retardaret? Mea quidem opinione vir medius ille nequaquam Anchises esse potest.

Sacra insunt in cista vel aedicula quadam. Nos fortasse deorum simulacra exspectaremus aediculae in vicem; quod vero sacra arcana in talibus cistis condebantur, artifex, ne imaginis minutissimae perspicuitas nimis minueretur, si vir ille ipsa deorum simulacra manibus teneret, hanc cistam sacris impletam supposuit, praesertim cum vir ille deorum simulacris onustus intuenti vix speciem praebuisset pulchram. Denique talis aedicula a consuetudine imaginum minime erat aliena.[142])

Aeneae autem hanc fabulam in novam quandam formam redegit Stesichorus. Arctinus Proclo teste tradidit, Laocoonte et altero filio ab anguibus duobus interfectis Aeneam cum suis portento prodigioque perterritum Idam in montem secessisse, priusquam Sinon Graecis face elata signum reditus dedisset. Lesches[143]) in Iliade parva Aeneam et Andromachen captivos Neoptolemo tribui fecit, qui eos in patriam Pharsaliam secum duxisset; ipsi Leschae versus a Tzetza traduntur. Stesichorus primus quantum scimus tradidit tabula auctore, Aeneam cum summo vitae discrimine inter tumultum atque caedem oppidum reliquisse cum suis et sacris. Utrum vero de Laocoonte dixerit omnino, necne, diiudicari vix poterit; certe

142) Heyne, de penatibus, palladio et Vesta, exc. IX ad Verg. Aen. lib. II; Iahn l. l. p. 35 cum not. 228–30; Iahn, de cista mystica, Herm. III, 1869, p. 317. — 143) Tzetz. ad Lycophron. Alex. 1263.

non ignoravit fabulam illam, quam ante eum Arctinus memoriae prodiderat; Sophocles vix Laocoontis fabulam tragoediae sumpsisset argumentum, nisi res ipsae auditoribus aliquantulum notae fuissent; narravit autem, Aeneam Anchisae iussu, Veneris mandati memorem, Laocoontidarun omine permotum in montem Idam transmigravisse, antequam in eo fuisset ut oppidum, caperetur. Alter Laocoontis filius vivus evasit apud Sophoclem, videlicet quod Aeneas quoque, id est altera gens regia, fuga vitam servare potuit, quo eodem sensu omen ab Aenea acceptum fuisse existimo. Utut res se habent, apud Stesichorum Aeneas non propter fortunam Laocoontis ex oppido discessit. Etiamsi hae res ab eo praetermissae essent, nihil in Iliuperside eius desideraremus, quod Laocoontidae nec inter Troiae expugnationem interimuntur, neque fortuna illorum arte coniuncta est cum eversione Ilii aut cum discessu Aeneae Stesichoreo, quoniam tabula testatur, Aeneam Troia expugnata demum aufugisse. Quod vero apud Petronium (sat. 89) Laocoontidarum mortes in pictura quadam Iliaca videntur repraesentatae esse, nihil prorsus refert, quia Trimalchio, qui vidit, „hospitem totum haerere in illa tabula, opus versibus pandere conatus“ pro natura sua longius abiisse videtur, ut speciem doctrinae prae se ferret, et in primordiis res recitavit, quae rebus in tabula illa depictis longe antecederent[144]). Omnino Trimalchio homo omnis doctrinae expers testis repudiandus est.

144) De Laocoonte inspicias praeter locos allatos: Verg. Aen. II, 40 sqq. cum Serv. ad v. 204 et 211; Hygin. fab. 135; 254; Lycophron. 346—47 cum schol. et Tzetz.; Quint. Smyrn. XII, 391—477; Tzetz. Posth. 713—14; — Heyne, de Laocoonte, exc. V. ad Verg. Aen. lib. II; Robert, Bild und Lied, p. 192—212, die Laocoonsage. — Aeneae ad discessum cf. schol. ad Aristoph. Ran. 678; Dionys. Halic. I, 46—48; Xenoph. Cyneg. I, 15; Apollodor. V, 24; Verg. Aen. II, 707—25 et passim; Hygin. fab. 254; Quint. Smyrn. VIII, 326—28; Script. rer. mythic., ed Bode I, p. 61. — Fuchs, de var. fab. Troic. p. 155 sqq. Heyne, de Aeneae discessu ex urbe eiusque patre et stirpe, exc. XVII, ad Verg. Aen. lib. II.

Sed redeat unde aberravit disputatio: Media in porta Troiae iterum conspicimus Aeneam, qui Anchisen patrem umero portat, manu trahit Ascanium filium Mercurio deo viam monstrante. Hunc Aeneae discessum ut supra dixi opus quoddam fictile Pompeiis inventum accuratissime adaequat[145]), ut nostro iure tabulam truncam atque arrosam hoc loco secundum opus illud fictile restaurare possimus.

Supra Ascanium et iuxta Anchisen senem tabulae nostrae mulier conspicitur, quae dextram genae apposuit, Troiae scilicet interitum miserata Creusa[146]) vel Eurydice. Sic apud Naevium[147]):

amborum (sc. Aeneae et Anchisae) uxores
noctu Troiad exibant capitibus opertis
flentes ambae abeuntes lacrimis cum multis,

atque Christodorus,[148]) qui circa annum quingentesimum Byzantii statuas gymnasii Zeuxippei carmine celebravit paullo post igne absumptas Creusae statuam sic descripsit:

Ἠγασάμην δὲ Κρέουσαν ἰδὼν πενθήμονι κόσμῳ
σύγγαμον Αἰνείαο, κατάσκιον· ἀμφὶ γὰρ αὐταῖς
ἀμφοτέραις κρήδεμνον ἐφελκύσσασα παρειαῖς
πάντα πέριξ ἐκάλυψε ποδηνεκέϊ χρόα πέπλῳ,
οἷά τε μυρομένη· τὰ δὲ χάλκεα δάκρυα νύμφης
Ἄρεϊ δουρίκτητον ἐμαντεύοντο τιθήνην,
Ἴλιον, Ἀργείοισιν ἑελμένον ἀσπιδιώταις.

Simili habitu Creusa in tabula nostra Aeneam coniugem sequitur maestissima. Quod vero infra apud navem atque decessum Creusa deest, a Stesichoro hanc fabulam eodem

145) H. v. Rhoden Terracotten von Pompeii, Stuttg. 1888, tab. 37, p. 48. Cf. Heydemann., Archaeolog. Zeitg. XXIX, 1872, p. 120; Robert, Archaeolog. Zeitg. XXXVII, 1879, p. 23—26. — 146) Heyne, de Creusa, exc. XIV. ad. Verg. Aen. lib. II. — 147) Naev. bell. Poen. I, V. (ed. Vahlen). — 148) Anthol. Pal. II, Christodori ecphras. v. 148—54.

fere modo atque apud Pausaniam descriptam fuisse existimem, qui (X, 26,1) haec tradidit: *αἰχμάλωτοι καὶ αὗται Κλυμένη τε καὶ Κρέουσα καὶ Ἀριστομάχη καὶ Ξενοδίκη . . . . ἐπὶ δὲ τῇ Κρεούσῃ λέγουσιν ὡς ἡ θεῶν μήτηρ καὶ Ἀφροδίτη αὐτὴν ἐρύσαντο· εἶναι γὰρ δὴ καὶ Αἰνείου τὴν Κρέουσαν γυναῖκα· Λέσχεως δὲ καὶ ἔπη τὰ Κύπρια διδόασιν Εὐρυδίκην γυναῖκα Αἰνείᾳ.* Apud Leschen igitur et in Cypriis carminibus Aeneae uxori nomen Eurydice fuit; neque Polygnoti Creusa Aeneae uxor,[149]) sed filia tantum Priami et Hecubae erat, quae Troiae inter expugnationem capta est. Stesichorus primus tabula nostra et Pausania auctoribus Creusam etiam Aeneae uxorum videtur finxisse (Pausan.: *καὶ Αἰνείου γυναῖκα.*) — altera enim Creusa Erechthei filia Xutho coniugi Achaeum et Ionem peperit — atque hanc Aeneae uxorem Creusam tabula teste Magna Mater Venusque Graecorum a servitute vindicaverunt apud Stesichorum. Eurydicae vice locoque Creusam Priami filiam a Stesichoro primo uxorem Aeneae dictam esse censeo, ut Aeneas artioribus affinitatis vinculis regia cum gente Priami esset coniunctus. Facillime autem pro Eurydice a Pausania solo allata Creusa potuit supponi, quod Conone auctore (narrat. 41) Aeneae Ascanius, Creusae Anius filius fuit, quem genuit Apollini. Pausanias antiquam fabulae formam contaminavit cum recentiore, cum ad Polygnoti Creusam captivam in lescha Delphorum depictam, quae nondum uxor Aeneae existimari poterat, ea referret, quae ad recentem Creusae fabulam spectabant.[150]) Stesichorus hanc rem similiter fere atque Vergilius videtur descripsisse, apud quem Creusa Aeneae „fato erepta“ est, cum „propinquabant portis“.

149) Robert, d. Iliupersis des Polygnot. 17. Hall. Winkelmann-Prgr.. Halle 1893. p. 61–62. — 150) Etiam Dionys. Halic. III, 31; Aelian. de nat. anim. XI. 16; Appian. reg. 1; Apollodor. III, 151; Christodorus l. l. Creusam Aeneae uxorem, appellaverunt.

Errant Iahnius (p. 36 not. 236) et Heydemannus (p. 31, not. 2), quod Welckero[151]) obiciunt, Creusam falso ab eo Venerem esse dictam, quam ipse postea (p. 194) Creusam appellaverit. Diligentius si Welckerum inspexissent, fieri non potuit, quin animadverterent, in pagina 191 eam figuram dici, quae est iuxta Anchisen et supra Mercurium, neque supra Ascanium; in pagina 194 Welcker de nostra eadem Creusa egit.

Miretur fortasse quispiam, quod hoc loco Mercurius διάκτορος exsculptus est, desideretque Venerem Aeneadum genetricem. Tryphiodorus (651—53) et Quintus Smyrnaeus (XIII, 326—28) tradunt, Venerem ipsam fugientibus viam monstrasse. Monumenta ab Overbeckio collecta[152]) Venerem saepius, Mercurium nunquam ostendunt. Quare quod Mercurium neque Venerem exsculpsit tabulae auctor, nova causa exstat, qua fides tabulae corroborari potest: Quamquam enim artifex certo non ignoravit fabulae formam Romanam, minime tamen ea re permotus est, ut Stesichorei carminis traditionem neglegeret. Sic Schwegler[153]) concedit, sculptorem cogitate et consulto fontes Romanos non curasse, sed manifesto antiquissimam Graecorum poesin solam secutum esse. Item Tychsenius[154]) Fabrettium improbavit, qui existimaverat, ex Aeneide aliqua hausta esse a sculptore atque simili modo Niebuhrius[155]) et Welcker[156]) consentiunt, tabulam non nullis locis a Vergilio dissentire.

Mercurium apud Stesichorum vero praecipuam quandam societatem cum salute Aeneae habuisse putaverim:

---

151) Alte Denkm. II, p. 191. — 152) G. h. B. I, p. 618; 655—61; cf. Heydem. Iliup. p. 33; 35; 37; Luckenbach, d. Verhaeltniss d. griech. Vasenbilder z. ep. Cyclus, p. 629—30; Heyne, Anchises humeris Aeneae asportatus, exc. XIII ad Verg. Aen. lib. II. — 153) Roem. Gesch. I, 1, p. 209. — 154) Commentatio de Quinto Smyrnaeo p. LXXIV, in Quinti editione. — 155) Roem. Gesch. I, p. 191. — 156) Alte Denkm. II, p. 195—196

Naevii[157]) fragmentum quoddam belli Poenici docet, „unam navem habuisse Aeneam, quam Mercurius fecerit.“ Alia deinde res loco remotissimo est tradita: Marcellus[158]) in secundo p. Chr. n. saeculo medio mortuae Herodis Attici uxori Regillae carmen dedicavit:

ἡ δὲ πολυκτεάνων μὲν ἔην ἐξ Αἰνεαδάων,
Ἀγχίσεω κλυτὸν αἷμα καὶ Ἰδαίης Ἀφροδίτης.

Infra autem occurrunt hi versus:

αὐτὰρ ὁ ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα
δῶκεν ἔχειν, τὰ λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆναι
ἦμος ὅτ᾽ Αἰνείαν πολέμου ἐξῆγεν Ἀχαιῶν,
νύκτα διὰ δνοφερήν · ὁ δέ οἱ περὶ ποσσὶ σαώτηρ
παμφανόων ἐνέκειτο σεληναίης κύκλος αἴγλης.

Quibus cum versibus componantur Vergilii[159]) haec verba:

„de caelo lapsa per umbras
stella facem ducens multa cum luce cucurrit“.

Quid ita? In tabula non modo Mercurius iste *διάκτορος* videtur mihi exsculptus fuisse, sed calceos eius alatos siderum etiam lumine fortasse apud Stesichorum praeditos fuisse existimaverim.

In tabula ima navem videmus, quae Hesperiam versus Aeneam cum suis avehet militibus completam nam[160])

„multi alii e Troia || strenui viri venere,“

qui fuga salutem petierant. Ad navem ponticulus appositus est, e quo Anchises, Aeneas, Ascanius navem conscendunt. Sequitur eos Misenus. Anchises sacra tradit viro cuidam in nave stanti; quoniam a parte altera Misenum videmus Aeneae comitem, fieri non potest, quin hunc Achaten definia-

---

157) Naev. bell. Poen. I fr. VI (ed. Vahlen) = Serv. ad Verg. Aen. II, 797. — 158) Kaibel. epigr. gr. ex lapid. coll. 1046, v. 3—4; 23—27. — 159) Verg. Aen. II, 693—98. — 160) Naev. bell. Poen. fr. XIII g; VIII c; Verg. Aen. II, 743—744; Dionys. Halic. I, 47—48; Tzetz. Posth. 739.

mus fidum vulgo celebratum;[161]) eiusdem autem nominis flumen fuisse in Sicilia meridiana inter Camarinam et Gelam notum est. Neque hercle fortuito utriusque viri nomina Hesperiam versus spectant. Quid? nonne ipse tabulae auctor adnotavit: *Αἰνήας σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπαίρων εἰς τὴν Ἑσπερίαν*? Similiter Tzetzes (Posth. 737) scripsit:

Αἰνείας δὲ καὶ Ἀγχίσης φύγον Αὐσονίηνδε

et paullo infra (v. 750):

Στησίχορος δ' ἐρέησιν ἑοῖς ἐπέεσσιν νόστον,

ita ut ea quoque verba, quae antecedunt, facile ad carmen Stesichori referri possint; neque dubitabimus, quin Himeraeo Stesichoro haec loca optime nota fuerint. Roscher[162]) quoque affirmat, Achatae personam vix a Vergilio inventam, sed Graecis de fontibus haustam esse. Quo de fonte igitur melius, quam e Stesichoro, qui Himerae vixit, quem constat in carminibus suis nova finxisse permulta, partim etiam inaudita sicuti Helenae *παλινῳδίαν*.

Huic tabulae imagini plane respondet Aeneae in Hesperia adventus, quem ectypum quoddam marmoreum in museo nunc Neapolitano servatum[163]) nobis repraesentat, ubi tabulae nostrae personas ordine conspicimus contrario: Puer Ascanius primus diuturnae navigationis nimirum impatiens in ponticulo navi apposito decurrit in terram; Aeneas dextra porrecta filiolum prosequitur, ne in mare incidat, sinistra patrem Anchisen debilem erigit atque sublevat, qui sinistra cistam tenet, dextra umero Aeneae innititur; ceteros nautas Heydemannus Misenum, Palinurum, Achaten appellavit.

In summo tabulae ordine nonnulla adhuc explicanda restant: Equum Troianum a Stesichoro commemoratum

161) Verg. Aen. I, 120; 188; 312; VI, 158; XII, 459; Ovid. Fast. III, 603; schol. in Hom. Il. II, 702. — 162) Mytholog. Lexicum, s. v. Achates, sed videsis O. Rossbach apud Pauly-Wissowa, Realencyclopaedie I p. 212. — 163) H. Heydemann, Archaeol. Zeitg. XXIX, 1872, p. 118 sqq. tab. 54,2.

esse praeter tabulam Iliacam affirmant testimonia[164]) Athenaei et Eustathii. Stesichorus, qui cum aliis centum heroas in equo ligneo conditos fecit, haud dubie magnam illorum seriem non nominavit teste Athenaeo. Sacadas Argivus tibicen poetaque melicus permulta nomina commemoravit secundum Athenaeum, nisi vero *Σακάδου τοῦ Ἀργείου* lectio illa ex *σακάτου ἀργείου* mutata in *Ἀγία τοῦ Ἀργείου* corrigenda est, quomodo cum C. F. Hermanno Kaibelius fecit; vix enim probari poterit, a tibicine poetaque melico carmen epicae latitudinis compositum fuisse tantae, ut omnium heroum, qui in equum inscendissent, nomina attulisset deinceps. Suo iure hoc loco E. Hiller[165]) eiusdem Agiae Argolica videtur significare; quae res cum in dubio relinquatur a Seeligero (p. 32), a Bergkio[166]) lectio *Σακάδου* retenta est. Apollodorus (V, 14) numerum heroum in equo absconditorum quinquaginta fuisse tradidit, Lesches[164]) autem in Iliade parva tria milia. Tryphiodorus (152—83) viginti duo nomina heroum rettulit, e quibus Neoptolemus primus, Epeus novissimus equi intraverunt caveam. Proclus numerum non tradidit. Tzetzes (Posth. 642 sqq.) triginta tria nomina rettulit, e quibus Neoptolemus primus, Epeus et Ulixes novissimi sunt. Quintus Snyrnaeus (XIII, 314 sqq.) e pluribus nomina undetriginta indicavit. Denique vix iuvat Palaephati[167]) et Daretis Phrygii[168]) commenta inspicere[169]).

Viro illi, qui ex equi alveo descendere vult, e multis equi incolis certum nomen indere vix poterimus. Pausanias quidem (I, 23, 8) narravit, equum Atheniensium in arce positum esse aere factum, e quo Menestheus, Teucrus, Theseique filii prominerent. Acamas et Demophon Thesidae

164) Athenaeus XIII, p. 610c; Eustath. in Od. XI, 522, p. 1698. — 165) Rhein. Mus. 1876, p. 87—88. — 166) P. L. G. III, p. 203. — 167) Palaeph. de incredib. XVII. — 168) Dares c. 40. — 169) Heyne, de equo Troiano, exc. III; Eq. Troi. in urbem inductus, exc. VII ad Verg. Aen. lib. II; Fuchs, de var. fab. Troic. p. 145—47.

infra in tabula sunt exsculpti. Menestheum Quintus solus (XII, 317), Teucrum Quintus (XII, 322), Tryphiodorus (170), Tzetzes (Posth. 645) in equo fuisse tradiderunt. Similem equum aëneum ab Antiphane factum Argivi Delphos dedicaverunt.[170]) Monumenta equi lignei collegerunt[171]) Overbeckius, Heydemannus, Urlichsius; praeterea etiam scyphus quidam Homericus dignus est, qui commemoretur.[172])

Una cum equo ligneo Stesichorus aedificatorem videlicet Epeum nominavit. Neque vero Homeri et Stesichori Epeus eiusdem honoris et auctoritatis est: Apud Homerum[173]) Epeus Panopei filius summam prae se fert audaciam, gloriaturque, unum quemque, qui secum pugilatu velit periclitari, fractis ossibus ablatum iri; ibidem simul concedit Epeus, in proelio et armis se esse inferiorem, et excusat se, quod unus homo non omnibus in rebus similiter versatus esse possit. Quae res fortasse prima causa exstitit, cur posteriores scriptores Epei famae obtrectarent. Vergilius, Hyginus, Pausanias, Dictys, Proclus de moribus Epei nihil nobis prodiderunt. Quintus[174]) famae eius non obtrectans operae fabrilis peritum appellavit *τέκος ὀβριμόθυμον ἀτάρβεος Αἰακίδαο.* Attamen Stesichorus primus quantum scimus hominem inferioris ordinis eum depinxit et aquatorem Atridarum[175]), quae res Simonidi aenigmatis cuiusdam argumentum fuit. Polygnotus Leschen secutus[176]) Epeum repraesentavit nudum ingentibus viribus Ilii moenia diruentem. Apollodorus (V, 14) *ἀρχιτέκτονα,* Tryphiodorus (57 sqq.) *ὑποεργόν* eum appellavit. Maxime dissident ab Homeri carminibus Hesychius (s. v.)

---

170) Pausan. X, 9, 12. — 171) Overbeck, G. h. B. I, p. 607—14; Heydem. Iliup. p. 29 c. not. 1; Urlichs, d. hölz. Pferd, Progr. XIV, des Wagnerschen Kunstinstitutes, Würzburg 1881. — 172) Robert, Homer. Becher, l. l. p. 69—173) Il. XXIII, 664 sqq.; Od. XI, 523. — 174) Quint. Smyrn. XII, 29 sqq.; 108 sqq.; IV, 327. — 175) Athen. X, p. 457; Eustath. in Il. XXIII, 664, p. 1322—23. — 176) Pausan. X, 26, 2.

et **Eustathius**, e quibus ille nomini adnotavit: *δειλὸς ἦν*; hic: *ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε ἦν, εἰδὼς πυγμαχίης, υἱὸς Πανοπῆος· Ἐπειὸς δειλὸς μέντοι καὶ ἀπόλεμος ὡς καὶ Λυκόφρων ἱστορεῖ.* Quorum uterque fortasse permotus est **Lycophronis** versibus his (Alex. 943—45):

φύξηλιν . . . σπόρον,
πύκτην μὲν ἐσθλόν, πτῶκα δ' ἐν κλόνῳ δορός,
καὶ πλεῖστα τέχναις ὠφελήσαντα στρατόν.

Simul patris Panopei periurium causam rettulit Lycophron, cur Epeum filium dii *φύξηλιν* et *δειλὸν* reddidissent, quam rem amplissime exposuit Tzetzes scholiasta[177]). Quin etiam res eo deducta est, ut mero Epei nomine homines appellarentur timidi atque ignavi Hesychio (s. v.) et Suida (s. v.) testibus. Cum autem **Stesichorus** scripserit[175]):

ᾤκτειρε γὰρ αὐτὸν
ὕδωρ ἀεὶ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσιν,

haec verba sic intellego, Minervam Epei miseritam, cui culpa periurioque patris ignaviae cum opprobrio servi fere fortuna obtigisset, ei, ut famam atque auctoritatem eius restitueret, suasisse, ut equo ligneo exstructo itaque Troia per eum capta gloriam sibi compararet aeternam.[178]) Apollodorus (V, 14) quidem et Tzetzes (Posth. 631—33) ab Ulixe equi dolum inventum esse tradiderunt. Idem Quintus (XIII, 23—46) de Ulixe narravit, cum ad Epeum, quem ipsa Minerva operam docuit fabrilem (XII, 77—80), equus perficiendus deferatur; sed ipse Quintus sibi non constitit, quoniam paullo infra (XII, 101—17) Minerva e caelo propinquat Epeo dormienti, quem iubet equum ligneum extruere, quo in opere ipsa illum vult adiuvare; deinde Epeus somnium suum refert ducibus laetitia exsultantibus, qui statim materiam advehi iubent ad equum exstruendum, cuius structura

177) Tzetz. in Lycophron. Alex. 930 c. ceteris scholiis. — 178) Seeliger, l. l. p. 34—35.

infra (XII, 131—52) amplissime descripta est. Cononis in narrationibus (34) Helenus Graecis „donum Minervae fatale“ coactus aedificandum suasit, quem eundum Dictys (V, 9) suasorem protulit. A Minerva autem Epeum hoc facere iussum esse praeter Homerum multi alii narraverunt scriptores.[179]) Sic in calice quodam Volcentino prope Epeum, qui scalprum malleumque manibus tenet, Minerva dea depicta est.[180])

Scala heroas apud Stesichorum usos esse, cum equi e cavea descenderent, e tabula concludas; idem Qnintus (XIII, 51) et Tryphiodorus narraverunt; Vergilius (Aen. II, 262) vero et Apollodorus (V, 19), per funem demissum eos delapsos esse. In gemmae cuiusdam fragmento[181]) et scala et funis incisa sunt; vir Graecus plane inermis in scala astat, quem Millinius Sinonem esse putavit, qui equi portam modo Graecis aperuisset; alii heroes duo per funem delapsi sunt, qui in duas quasi ansas terminatur, in quibus singuli pedes utriusque viri insistunt. In tabula nostra quoque virum eum, qui scalam manibus tenet, Sinonem esse existimem, quem Graeci Tenedum in insulam avecti verberatum mutilatumque reliquerant, et cuius dolis permoti Troiani equum in arcem receperunt. Aperuit deinde Sinon equum heroibus impletum, ceterisque Graecis face elata signum reditus dedit. Ipsa tabulae figura armis nudata propter omnem habitum optime quadrat in Sinonem. Cuius nomen quamquam Homerus nondum commemoravit, personam hanc tamen brevi post in fabulis exstitisse negari non potest. Arctinum enim Sinonis iam mentionem fecisse Proclus testatur, qui in argumento Iliupersidis Arctini haec scripsit: καὶ Σίνων τοὺς πυρσοὺς

179) Hom. Od. VIII, 492—93; Il. XV, 70—71; Lesches in Procli chrestom; Hygin. fab. 108; Verg. Aen. II, 31 et 264; Quintus XII, 142—144. — 180) Gerhard, Auserles. Vasenbilder III, 229—30. — 181) Winkelmann, Mon. ined. num. 119; Millin, galérie mythologique, p. 2, tab. 167, 606.

ἀνίσχει τοῖς Ἀχαιοῖς. In ima deinde tabulae zona, cuius imagines Leschae Iliadem parvam illustrant, Priamus et Sinon inscriptionibus indicantur, et tertius quidam homo vinctum Sinonem Priami iussu laqueis videtur liberare. Proclus quoque tradidit, equum ab Epeo exstructum et Troiam receptum a Lescha commemoratum esse in Iliade parva; sed nihil Proclus de Sinone; attamen Tzetzes affirmavit[182]), Sinonis a Lescha mentionem factam esse, versumque etiam Leschae addidit. Euphorion contra Servio auctore[183]) Sinonis facta consobrino eius Ulixi tribuit, quae fabula haud scio, an fuerit prior, ita ut Stesichorus novarum quippe rerum studiosus recentiorem fabulam secutus sit ab Arctino traditam, Euphorion retinuerit antiquam[184]).

Non omnes Graeci per funem aut scalam ex equo descenderunt: Apollodorus enim haec narravit (V, 20): *Καὶ πρῶτος μὲν Ἐχίων Πορθέως ἀφαλλόμενος ἀπέθανεν, οἱ δὲ λοιποὶ σειρᾷ ἐξάψαντες ἑαυτοὺς ἐπὶ τὰ τείχη παρεγένοντο.* Hunc Echionem in tabula inter aram et Sinonem exsculptum esse crediderim, ita ut Graecum heroem ex saltu impeditum heros quidam Troianus obtruncet Phrygio insignis pileo; neque enim illi tantum temporis spatium relictum erat, ut hasta in hostem uteretur, quam humi iacentem dextra eius amplectitur. Sicut autem hoc loco Echion moritur, cum in eo est, ut oppidum expugnetur, ita Protesilao quoque, qui primus vir Graecus e nave in terram hostium desiluerat, mors obtigit; Hyginus testatur, ei antea Iolaum nomen fuisse atque post mortem voluntariam demum Protesilaum nomen inditum esse. Simili modo Archemori nomen ominosum fuit. — At Echion noster a plurimis tabulae

182) Tzetz. ad Lycophr. Alex. 344. — 183) Serv. in Verg. Aen. II, 79. — 184) cf. Verg. Aen. II, 57 sqq., Apollod. V, 15; 19; Palaephat., de incredib. XVII; Hygin. fab. 108; Dictys V, 12; Quint. Smyrn. XII, 360 sqq.; XIII, 23 sqq.; Tryphiod. Iliup. 220 sqq.; Tzetz. Posth. 721 sqq.; Heyne, de Sinone, exc. IV ad Verg. Aen. l. II.

editoribus[185]) Coroebus est dictus. Neque iure putaverim, nam vir ille, a quo Echion noster obtruncatur, sine dubio est vir Troianus, quoniam in capite gerit pileum Phrygium. Interpretes in errorem ducti sunt Vergilii videlicet his verbis (Aen. II, 424—26):

primusque Coroebus
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
procumbit.

quia Echion noster laeva manu aram corripuit. Sed apud Quintum (XIII, 168—72) Coroebus non ad aram Minervae sed belli in tumultu interficitur, neque a Peneleo, sed a Diomede. Tabulae auctorem deinde Vergilii rationem habuisse nullam saepius ostendi. Quid igitur nos impedit, quominus a sinistra parte arae Coroebum a Diomede interfici vel interfectum esse iudicemus, qua in parte tabulae summus pugnae tumultus exsculptus est, praesertim cum Lesches quoque Coroebum a Diomede occisum esse tradiderit (Pausan. X, 27,1)? Hasta Diomedes adversarium transfixit, hastam Diomedes manu dextra tenet in tabula; Cassandrae propter nuptias Troiam in auxilium venerat Coroebus,[186]) Cassandrae prope rapinam in tabula mors illi obtigit: omnia optime utique congruunt. Una cum Coroebo Diomedes, priusquam gladium strinxit, Eurydamantem hasta percussit, quam ob rem eam personam, quae in tabula supra Coroebum telum excutere vult, Eurydamantem esse existimem (Quint. VIII, 178 sqq.). Diomedem autem esse heroem iuxta aram illum veri simillimum mihi videtur esse, praesertim cum in alio tabulae cuiusdam Iliacae fragmento Parisino vel Veronensi apud Iahnium littera D significato Diomedis nomen exsculptum fuisse videatur.

185) Beger, p. 58; Franzius, C. I. G. III, n. 6125; Heyne, de Coroebo, exc. X ad Verg. Aen. lib. II; Fabrettius p. 370; Fogginius IV, p. 390—91; Montefalconius IV, 2, p. 301; Schorn-Tischbein. II, p. 22; Millin, galérie mythologique II, p. 223. — 186) Pausan. X, 27,1; Quint. XIII, 174—77; Verg. Aen. II, 341.

Hyginus (fab. 114) in capite „Achivi qui quot occiderunt" superscripto tradidit, a Diomede duodeviginti hostes interfectos esse, neque dubitari potest, quin hunc numerum ille collegerit e scriptoribus. Quintus Ilii inter excidium solum quinque Troianorum a Diomede occisorum nomina protulit. In equo ligneo fuisse Diomedem Quintus (XIII, 316), Tryphiodorus (Iliup. 157), Tzetzes (Posth. 643) narraverunt.

Qui inter templum Minervae et porticum stat, eum haud dubie esse sagittarium nostra docet imago, neque recte viderunt Iahnius (p. 33 et 35) aut ceteri, qui a viro illo hastam fecerunt conici. Carolus Robert (l. l. p. 108.) tabulae ipsius ex adspectu sagittarium inesse pro certo affirmavit, cuius interpretationis fides ea re augetur, quod in alio fragmento Parisino apud Iahnium littera E signato sagittarius noster aperte cognoscitur iuxta templum eodem habitu, quo nostrae tabulae figuram restituendam esse censeo. Propter pileum sine dubio heros Troianus ille habendus erit; quis vero sit, pro certo enucleari non poterit, quoniam certae nobis relationes deficiunt. Si autem etiam hic inter adversarios Diomedis numerandus est — neque enim alius quisquam adest, qui cum sagittario eo congredi videatur — minime Ilioneum esse existimem, quem Quinto teste (XIII, 181 sqq.) Diomedes post Eurydamantem obtruncavit, quoniam hic sagittario nostro plane dissimilis neque fortiter repugnans cecidit, et corpore aetate confecto membrisque labantibus vitam ab hoste deprecatus est. Pyraechmen, etiam Steropaeum dictum, huc referre non possumus, qui *Παίονας ἀγκυλοτόξους* Troiam duxerat (Hom. Il. II, 848) atque

ὠκύμορος πάντων νόσφι φίλων ἔθανεν

[Anth. Pal. Appdx. II, 95 vel Arist. Pseudepigr. (ed. Rose) p. 575 n. 47], quia iam ante excidium Troiae duabus simul hastis armatum eum ab Achille profligatum esse, Homerus (Il. XXI, 140 sqq.) et Quintus (IV, 155) tradiderunt. Paeones autem sunt essedarii (Hom. Il. XXI, 205).

Par illud, quod est a dextra parte supremi ordinis ante domus exsculptum, fortasse Deiphobum et Menelaum esse putaverim. Ipse Homerus tradidit (Od. VIII, 517—18), Ilii in excidio Ulixem et Menelaum statim Deiphobi ad domum se proripuisse, qui Paride mortuo invitis Troianis Helenae coniux erat.[187]) Quare quod Arctinus apud Proclum quoque et Apollodorus (V,22) iisdem fere verbis narrant, Deiphobo obtruncato Helenam a Menelao ad naves ductam esse, atque ceteri scriptores a re ipsa non discrepant[188]), ab artifice supra Helenae comprehensionem Deiphobi mortem ante domum eius fortasse exsculptam esse iudicaverim, quamquam certa documenta desunt.

Duo iam restant paria pugnatorum, alterum in suprema oppidi zona sinistra, alterum in imo ordine oppidi iuxta portam, quae ex alio tabulae Iliacae fragmento Parisino littera D apud Iahnium signato fortasse definiri possunt. Nam omnes tabulas illas inter se cohaerere inde apparet, quod in unum Theodorum auctorem — non dico artificem — videntur referendae esse Deinde Iahnii in tabulis C et A idem fere rerum ordo eademque dispositio invenitur: In tabula A Aeneae sacra traduntur in oppido munito, in tabulae C fragmento eo loco, qui accuratissime prioris tabulae loco respondet, nomen Aeneae inscriptum est; sagittarius ille, qui est iuxta templum Minervae in tabulis A et E congruis locis exsculptus est. Quibus rebus collectis non sine iure etiam tabulae D nomina in figuras tabulae nostrae transferre licebit. Inscripta autem sunt haec: *Νεοπτόλεμος ἀποκτείνει Πρίαμον καὶ Ἀγήνορα, Θρασυμήδης Νικαίνετον, Πολυποίτης Ἐχεῖον, Φιλοκτήτης Διοπείθην.* De Neoptolemo, Priamo, Agenore supra diximus. E ceteris sex nominibus duorum parium nomina eligere atque in personas tabulae

187) Lesches sec. Procli chrestom. II, 5; Eurip. Troad. 952—53. — 188) Verg. Aen. II, 310—11; Dictys IV, 22; V. 12; Quint. Smyrn. XIII, 354—56; Tryphiod. 613—28.

nostrae transferre possemus, nisi unus quisque heros Graecus aequo modo antiquissimis iam temporibus notus fuisset, viri autem Troiani plane nobis ignoti essent. Philocteten Troiae excidio interfuisse constat inter omnes. Thrasymedes[189]) et Polypoetes[190]) quoque Homeri iam in carminibus celebrantur; utrumque in equo ligneo absconditum fuisse Quintus (XII, 318—19), Tryphiodorus (v. 169), Tzetzes (Posth. 645) tradunt. Polypoeten etiam Polygnotus (Paus. X, 26,2) in lescha Delphorum depinxit, neque refert, quod Dares Phrygius (c. 14 et 24) eum ab Hectore interfici facit. Haec res igitur cum nostro dolore in dubio reliquenda est, neque certa singulis viris nomina indere possumus.

Sed alia quaedam interpretatio haud plane a veri similitudine mihi videtur abesse. Apollodorus enim haec tradidit (IV, 21): *Ὀδυσσεὺς δὲ καὶ Μενέλαος Γλαῦκον τὸν Ἀντήνορος εἰς τὴν οἰκίαν φεύγοντα γνωρίσαντες μεθ' ὅπλων θέλοντες ἔσωσαν.* Fortasse igitur in ectypo prope domus Glaucum exsculptum fuisse conici potest, quoniam etiam ceteras personas omnes ab Apollodoro Ilii in excidio nominatas in tabula nostra reperire potuimus.

Haec habui, quae explicarem de tabulae figuris. Singulis autem personis nomina imponens non semel Apollodoro et Proclo testibus usus sum. Omnes Iliupersides enim, Leschae, Arctini, Stesichori, in rebus gravioribus haud ita inter se discrepuisse putaverim, siquidem in rerum factorumque nexu causisque differentias exstitisse manifestum est; quibus locis autem discrimina inveniebantur graviora, antiqui iam scriptores — Pausaniam nomino — atque scholiastae prolata ea ostenderunt; praeterea tabulae nostrae imagines, quae Stesichori carmen repraesentare se cum aliqua fide profitentur, interpretari nobis licebit etiam aliorum scriptorum similibus narrationibus in auxilium

189) Hom. Il. IX, 81; Od. III, 39; 442. — 190) Hom. Il. II, 740; XII, 129; XXIII, 836.

vocatis. Eadem fere Noackii et Schreiberi est sententia[191]). Apollodorus et Proclus cum miro quodam modo inter se consentiant, Ricardus Wagner[192]) conclusit, Apollodori de rebus Troianis excerpta artissimo quodam vinculo cum Procli ex epici cycli carminibus epitoma cohaerere, id quod pro certo nunc affirmari atque exactius definiri posse: Apollodorum quoque similia ex epicorum carminum thesauris excerpta adhibuisse, sed multo largiora et uberiora, quam ea essent, quae in Iliadis codicibus ad nostram memoriam pervenissent. Plerosque consentire, ipsa carmina Proclum non excerpisse, sed sicut Apollodorum argumentis usum esse haud ita tenuibus a viro quodam litteris imbuto ante Christum natum ex epici cycli carminibus excerptis. Usener[193]) mythographicum quoddam summarium Procli excerptorum fontem fuisse putavit, quam sententiam Ericus Bethe[194]) accuratissime documentis causisque corroborare conatus est: A Proclo magnam partem eorum, quae e cyclicis carminibus a se excerpta esse contenderet, ad verbum e summario mythologico esse descriptam, atqui ex eodem, quo Apollodorus usus esset. Praeter hoc alio enchiridio quodam illum usum esse, e quo ea sumpsisset, quae de carminum auctoribus librorumque numeris narrasset (p. 625). Bethius quamquam ipse alio loco infitiatus non est, Procli titulis singulorum carminum semper fere fidem habendam esse, censuit tamen, eum re vera artificiis astutiisque maxime variis speciem prae se tulisse, quasi ex ipsis poetarum hausisset libris, ut usque ad nostram aetatem viri doctissimi essent decepti atque illusi (p. 618). Sic Procli auctoritatem esse deletam, atque omnibus epicorum carminum restitutioni-

---

191) Noack, Iliupersis; de Euripidis et Polygnoti quae ad Troiae excidium spectant fabulis, diss. Giessen. 1890, p. 51—52; Schreiber in Herm. X, 1876, p. 309. — 192) Epitoma Vatic. ex Apollodori biblioth. p. 169. — 193) Rhein. Mus. 1868, p. 344 et 384. — 194) Bethe, Proclus u. d. ep. Cyclus, Herm, 1891, p. 602.

bus, quae Proclo niterentur, fundamentum quasi esse subtractum; collabi eas, nisi aliis testimoniis essent firmatae (p. 612). Sed Ricardus Wagner in commentatione sua „Proclus und Apollodorus" inscripta[195]) hanc Betheianae commentationis partem prospere impugnasse mihi videtur, ut Procli auctoritate fideque servata et restituta nostro iure Proclo et Apollodoro testibus uti nobis adhuc liceat.

Utrum vero in codice Veneto Iliupersidum in contextu quidquam e Procli excerptis exciderit, necne, facile diiudicari non poterit: Differunt inter se doctissimorum virorum[196]) sententiae. Hoc vero pro certo contenderim, nequaquam e codice illo perditum esse argumentum ullum Iliupersidis Stesichoreae, cum fieri prorsus non possit, ut Stesichorus poetis cyclicis vel epico cyclo adiungatur. Plane assentior Ricardo Foerster[197]), cum neget, *ὁμηρικώτατος, Ὁμήρου ζηλωτής*, epici carminis onera lyra sustinens, similiaque verba posse documento esse, Stesichorum epicum poetam esse habitum. Wuellner quoque (l. l. p. 4 et 40 sqq.) probavit, cyclum epicum nihil fuisse aliud, quam epicorum carminum complexionem quandam, id quod ex aliquot veterum scriptorum locis satis appareret. Quid? Pausanias nonne dilucidis verbis (X, 26, 9) Stesichori Iliupersidem appellavit *ᾠδήν*? Neque tamen infitiari poteris, Stesichori Iliupersidem fuisse mediam inter lyricum poema et epicum. In tabula vero Iliaca, ubi ad titulum *Τρωϊκός* supplendum est nomen *πίναξ*[198]), neque *κύκλος*, Stesichorus locum tenet suum; nam tabulae auctor Theodorus e multis illis carminibus, quae

---

195) Neue Jahrbb. 1892, p. 241 sqq. — 196) Wuellner, de cyclo epico poetisque cyclicis, diss. Monaster. 1825, p. 91—92; Ad. Michaelis in Iahn., Bilderchron., p. 93 sqq; Theod. Schreiber, Fragment des ep. Cyclus, Herm. X, 1876, p. 305—22; Ad. Michaelis, Stes. im ep. Kyklos, Herm. XIV, 1879, p. 481—98; Welcker, Ep. Cyclus II, p. 187; E. Hiller, Griech. Lyriker, Iahresber. d. kl. Altertmswschft. 1881, p. 128—31, Georg. Wissowa, Herm. XIX, 1884, p. 198—209. — 197) Achilleus u. Polyxena, Herm. XVII, 1882 p. 194, not. 2. — 198) Wuellner l. l. p. 4.

Troiae interitum descripserunt, consulto Stesichori hanc Iliupersidem elegit, quia haec sola tradidit, Aeneam Troia capta navigasse Hesperiam versus teste tabulae inscriptione [*Αἰνήας σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπαίρων εἰς τὴν Ἑσπερίαν*], ut tali modo gentis Iuliae originem Troianam probaret Romanis in hanc rem abusus verbis Stesichori dubiis atque ambiguis.

Restat nunc, ut dicam de **sententiis nonnullorum virorum, qui tabulae fidem denegare aut minuere sunt conati.** Miretur fortasse quispiam, quod nunc demum tabulae fidem explicare conor; sed cum supra compluribus locis, siqua res id requirere videbatur, fidem tabulae ostendi, tum hanc dissertationis partem praecipuam in finem transtuli eo consilio, ut qui legeret de singulis tabulae figuris certior iam esset factus.

Auctoritatem tabulae concesserunt Niebuhrius, Welcker, Westermannus, Tychsenius, Schwegler, Mommsenius, Iahnius, Rossbachius, Foerster, Michaelis, Robertus.[199]) In dubium vocaverunt Nissenius, Frickeius, Schreiber, Bergkius, Preller, Seeliger, Maxim. Mayer, Noackius.[200]) Plane fidem

199) B. G. Niebuhr, Roem. Gesch. IV ed., I, p. 187—217; F. G. Welcker, Alte Denkmaeler II, p. 191—195; A. Westermann, Pauly Realencyclop. s. v. Aeneas, p. 384; Tychsen, Prolegg. ad Quint. Smyrn. p. LXXIV; Schwegler, Roem. Gesch. I, p. 2—7, 279—336; Th. Mommsen, Roem. Gesch. II ed., I, p. 439; O. Iahn, Griech. Bilderchron. p. 38; O. Rossbach, Pauly-Wissowa, Realenc. s. v. Aineias; Ric. Foerster, Achilleus u. Polyxena, Herm. XVII, 1872, p. 194; Ad. Michaelis, Stes. im ep. Kyklos, Herm. XIV, 1879, p. 492; Carol. Robert, Homer. Becher, l. l. p. 45. — 200) H. Nissen, Zur Kritik d. Aeneassage, Neue Jahrbb. 1865, p. 375—393; C. Fricke, de origine Cumarum, diss. Gotting. 1869, p. 19 sqq.; Th. Schreiber, Herm. X, 1876, p. 316 sqq.; Th. Bergk, Poetae lyr. gr., IV ed., III, p. 212; L. Preller, Griech. Mythol. III. ed., II, p. 313; Seeliger, d. Ueberlieferung d. griech. Heldensage bei Stes., Prgr. Meissen. 1886; Maxim. Mayer, de Euripidis mythopoeia capita duo, diss. Berol. 1884; F. Noack, Iliupersis. De Euripidis et Polygnoti quae ad Troiae excidium spectant fabulis; diss. Giessen. 1890. (Hic tabulae fidem impugnavit,

negavit Lysander Konstas.[201]) Recentissimae Rizzii quaestiones Stesichoreae[202]) mihi praesto non fuerunt.

Eorum nunc iudicia redarguere conabor, qui reiecerunt tabulae nostrae Iliacae auctoritatem ut minus fidae atque incertioris, quam e qua Stesichori Iliupersis restaurari aut compleri posset.

Atque primus quidem Seeliger tabulae fidei obtrectavit, qui quamquam concessit, notam illam *Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον* non sine mora praeterire licere, negavit tamen, fieri posse, ut imagines perfectam et absolutam argumentationis vim continerent, id quod ceteris ectypi imaginibus comprobari: neque Homerum cyclumque accurate aut diligenter repraesentatos esse, et in media imagine complures figuras compositionesque ea de causa sola exsculptas esse, ut aliis tabulae figuris responderent. Sic mulierem illam a laeva regiae aulae parte a milite de templo revulsam comparem esse tantum Menelao et Henelae partis dextrae (p. 32). His Seeligeri partibus Konstas (p. 15) et Schreiber (p. 316) se adiunxerunt. Konstas contendit, tabulam Iliadi Homeri non respondere, atque rem ab artifice ad suum arbitrium esse tractatam. Schreibero, qui censuit, e dispositione imaginum colligere non licere, quomodo singulae partes Iliupersidis Stesichoreae inter se cohaesissent, plane assentiri non possum. nam cum tabulae dispositione tum re ipsa apparet, Stesichorum de equo ligneo primum, deinde de pugna nocturna, tum de captivis, in exitu denique de discessu scripsisse, in quarum rerum connexu tabulae artifex nihil suo arbitrio

causas vero non protulit; sperat enim (p. 3) adhuc usque, mox copiosius atque accuratius de fabulis ad Iliupersidem pertinentibus se disputaturum esse.) Videsis etiam Noack, d. erste Aeneis Vergils, Herm. XXVII, 1892, p. 407 sqq. et Noack, Helena bei Vergil, Rh. Mus. N. F. 48; 1893, p. 420 sqq. — 201) Lysander G. Chadzi Konstas, Iliupersis nach Stes., diss. Lips. 1876. — 202) Rivista di storia antica, Messinae 1895, I, 1—2, E. Rizzo, questioni Stesichoree.

commutare potuit; intra has partes autem artifici licuit, singularum figurarum complexionem libere disponere, quoniam hac demum in re artis poeticae et sculpturae leges inter se differunt. Certo artifex id respicere debet, ut singulae partes imaginis sibi respondeant, atque operam dare rerum concinnitati congruentiaequae. Schreiber ipse non negavit, artificem quam maxime Stesichori carmina secutum esse, sed paullo inferius e tabulae dispositione et concinnitate rursus conclusit, argumentum propositum ab artifice libere esse tractatum, fortasse etiam commutatum atque completum. Sed tam copiosum sine dubio sculptori argumentum suppeditabat, ut e rebus propositis eligere potius ei opus esset, quae digna essent arte sua — quomodo in Homeri Iliade factum est — quam argumentum complere libidine cogitationis suae. Iliadis imagines haud ita discrepare ab Homero in tabula, satis supra ostendisse mihi videor; Konstas autem (p. 15—32) in eum errorem videtur mihi incidisse, ut omnibus rebus praeclaris ex Iliade excerptis plurimam partem earum in tabula desideret. Concedo, multa illustratione digna omissa esse, sed carminum tenorem ab artifice lepide expositum esse nemo infitiabitur; ne Konstas (p. 39—41) quidem negavit, compositionem consideratissime atque summa arte esse factam, sed docuit, tabula optime rerum seriem repraesentari. Quis vero ab artifice sculptore postulabit, ut unum quemque heroem in eadem positione exsculpat, qua Homerus eum descripsit? aliae sunt leges poetae, aliae sculptoris! Quod attinet deinde ad Iliupersidem, res est facillima si cum Seeligero (p. 32) contendas, omnes personas inscriptionibus non significatas, in quibus certa interpretationis argumenta videntur deesse — ac ne semper quidem deesse ea putaverim, — a sculptore introductas et fictas esse spatii pulchro et aequo modo complendi causa. Ad quam figurarum complexionem Seeliger annotavit,

eam certo solius concinnitatis causa exsculptam esse, hanc cum aliqua probabilitate Andromachen cum Astyanacte definivisse mihi videor; aliarum deinde tabularum Iliacarum fragmenta titulis praedita affatim nos edocent, nostra quoque in tabula repraesentatas esse personas certas. Accedit, quod subter nonnullas ectypi nostri personas, quarum nomina non sine dubio videntur enucleari posse, dilucidae litterarum reliquiae et fragmenta inveniuntur, sicut inter femur et bracchium viri illius ante pedes Hecubae prostrati litterae *A* et *N*. Similiter etiam alias personas titulis nominatas fuisse contendo, qui tabula obruta, arrosa, purgata evanuerunt plane. At Konstas (p. 41) ad id iudicium progressus est, ut tabulam differre etiam a perpaucis illis Iliupersidis Stesichoreae fragmentis litterarum arbitretur. — At contrariam prorsus sententiam professus est Welcker (p. 192), cum scriberet, se tota tabula cum fragmentis Stesichori comparata collegisse, satis ea congruere, neque in unam quidem rem se incidisse, qua tabula et fragmenta inter se discreparent. Similiter iudicavit Michaelis.[203]) Singula igitur adeamus, ut quaeramus, utra sententia vera sit atque recta:

Quoniam Pausanias haec tradidit:[204]) *Ἐς δὲ Ἑκάβην Στησίχορος ἐν Ἰλίου πέρσιδι ἐποίησεν ἐς Λυκίαν ὑπὸ Ἀπόλλωνος κομισθῆναι*, Konstas (p. 41—42) itemque Noackius (p. 68—69) offenderunt, quod artifex eam in captivis exsculpsisset aliam videlicet fabulam quandam secutus; constare a Stesichoro eo puncto temporis, quo Neoptolemus eam coniugi eripere aut de arae gradibus, quo confugisset, revellere inciperet, Apollinem esse inductum, qui eam Neoptolemi e manibus extorsisset; praeclarum profecto id fuisse sculptori argumentum. Dubito an fuerit: Neoptolemum tunc artifex eadem in scaena duplicasset, ita ut

203) Herm. XIV, 1879, p. 492. — 204) Pausan. X, 27,2 = Bergk. Stes. frgm. XIX.

eodem temporis momento eundem Neoptolemum in utraque arae parte conspiceremus! Sed quis haec omnia narravit? nequaquam Pausanias! o miram quandam Konstae divinationem, quae haec omnia e tantula Pausaniae sententia enucleaverit! An quisquam alius ea narravit? Quod Hecuba neque Arctini in Iliuperside nominata est inter captivas, neque a Polygnoto depicta fuit in lescha Delphorum (fuit autem fortasse depicta), quid attinet ad Stesichorum? Aliam fabulam illam, quam artifex fortasse secutus sit, nescio an Konstas Euripidis dixerit tragoedias, sicuti Seeliger (p. 36) quoque iudicavit. At multis locis Stesichoro se applicasse Euripidem cum re ipsa[205]) tum scholiis probatur Euripideis. Cur igitur non hoc loco? quidni Hecubam omnibus rebus adversis perfunctam, postquam Troiam vidit captam, dirutam, incensam, filias filios interemptos, Polyxenam ex amplexu immolandam ductam, e tantis malis tunc demum in Lyciam seduxit Apollo apud Stesichorum, ne mulier ea, quae ipsi genuisset Hectorem[206]), ulli viro obtingeret serva ant concubina? Haec interpretatio neque ab arte poetica neque a probabilitate videtur abhorrere; atque eodem fere modo iudicavit Carolus Robert[207]): Propter Hecubam, ait in captivis depictam tabulae fidem nequaquam minui, neque ullam causam esse, cur tabulae in inscriptionem Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον aliqua inferretur suspicio; Polyxena immolata demum Hecubam ab Apolline subductam esse apud Stesichorum. Quod vero Seeliger quoque in eam sententiam inclinasset, apud poetam nostrum Hecubam ab Apolline Neoptolemo caedis cupido ereptam esse, non sibi constitisse

205) Maxim. Mayer, l. l. p. 51 haec scripsit: Iliupersidis Stesichoreae certissima in Troadibus deteximus vestigia; p. 58: Unus Stesichorus multa ei (sc. Euripidi) suppeditasse isque maxime studio Troicarum fabularum denuo eum implevisse videtur. — 206) Tzetz. in Lycophron. Alex. v. 266 = Bergk, Stes. frgm. 69. — 207) Die Iliup. d. Polygnot, Halle 1893, p. 75 c. nota 16.

illum, qui modo tabula Iliaca fonte usus esset, modo tabulam fontem reiecisset.

Clymenen deinde Konstas (p. 42) in captivis desideravit, quam Stesichorus in captivis nominaverit: *Κλυμένην μὲν οὖν Στησίχορος ἐν Ἰλίου πέρσιδι κατηρίθμηκεν ἐν ταῖς αἰχμαλώταις.*[208]) Verum etiamsi Clymene in tabula non exsculpta est, contendi tamen non potuit, discrepare quidem tabulam a fragmentis Stesichoreis, quae imaginum suarum argumentum Stesichori ex Iliuperside hausit, neque vero unam quamque personam a Stesichoro allatam imagine repraesentasse sibi vindicat. Heroas Graecos centum Stesichorus in equi lignei alveo conditos fecit, ne quintam quidem partem tabula continet. Quid ita? non congruunt tabula et fragmenta Stesichorea secundum Konstam? In multis tabulae mulieribus certa nomina deficiunt, e quibus aliquam Konstas sibi eligat Clymenenque appellet, si eam tantopere in ectypo nostro desiderat, ut Clymene deficiente Iliupersidem veram fidamque esse non posse existimet.

Deinde quod in ectypo Menelaus clipeo protento et gladio stricto Helenam petit nudatam, quae templi ante gradus se proiecit manibusque genua mariti corripere videtur, qua de causa negaverit Konstas (p. 42), Menelaum formositate uxoris commotum vitae eius pepercisse ultionique Argivorum condonasse illam apud Stesichorum? an quia Euripidis scholiasta ad Orestem annotavit[209]): *Ἆρα εἰς τὸ τῆς Ἑλένης κάλλος βλέψαντες οὐκ ἐχρήσαντο τοῖς ξίφεσιν· οἷόν τε καὶ Στησίχορος ὑπογράφει περὶ τῶν καταλεύειν αὐτὴν μελλόντων· φησὶ γὰρ ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν αὐτούς, ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν.* ? Bergkius quoque (p. 212) iudicavit, „plane incredibile esse, Stesichorum ita exaggera-

208) Pausan. X, 26,1 = Bergk, Stes. frgm. 21. — 209) Schol. Eurip. Orest. 1287 = Bergk., Stes. frgm. 25.

visse, ut Helena bis gravissimum discrimen effugeret, neque licere eo perfugio uti, ut Stesichorum Menelai ultionem in Ilii excidio, Achivorum iram in Nostis enarravisse putemus, nam scholium Euripideum dilucide testari, hunc poetam Menelai impetum silentio praetermisisse neque Leschae exemplum secutum esse." — Mea vero sententia neque haec omnia e scholio illo Euripideo colligi possunt, et utraque enarratio optime Stesichori in Iliupersidem quadrat. Quin etiam res ipsa mihi videtur requirere, ut poeta explicet primum, quomodo Menelaus illusus et destitutus se gesserit in uxorum suam perfidam, deinde, qua ratione exercitus in eam animadverterit, propter quam tot labores, tantas angustias perpessus erat. Quam eandem atque ego sententiam Seeliger (p. 37—38) quoque professus est, qui aliis locis tabulae fidem minime vult comprobare. Etiam M. Mayer (p. 45), tabulae in aliis rebus adversarius hoc loco ei fidem denegare non potuit, cum haec confiteretur: „Verum tamen fanum Veneris, quo fugit Helena, suspicari possis cum Roberto[210]) iam apud Stesichorum locum habuisse salva narratione de militibus Helenae formositate delenitis". Quid? quod Euripides in Troadibus, quae fabula oculis nostris cycli Troiani imagines singulas potius, quam tragoediae alicuius tricas nodumque proposuit, utramque nobis protulit narrationem? Etenim secundum versus 866 sqq. et 894 sqq. (ed. maior Kirchh.) exercitus Helenam Menelai potestati ultionique permisit, quo loco ipse verborum color M. Mayero indicare visus est, tradita referre Euripidem. In versu deinde 1033 Menelaus in Helenam hisce verbis invehitur: βαῖνε λευστήρων πέλας; sed plane ignoramus, quid illa verba hoc loco sibi velint, quoniam in tota fabula nec antea neque postea tales λευστῆρες commemorantur. Quid ergo? Tradita rettulit etiam hoc

210) Archaeol. Zeitg. 1874, p. 78.

loco Euripides, nimis incaute atque inepte auctorem suum prosecutus; Stesichorum autem hunc sine dubio fuisse crediderim, qui solus traditur de praetermissa Helenae lapidatione illa cecinisse. Etiam tabulae Iliacae imagines sic nonnullis locis Euripidis cum tragoediis arte videntur cohaerere.

Aliter rem explicavit Fogginius, qui cum ante utrumque templum heroas Troianos armatos in genua concidisse falso existimet, mulierem infra dextrum templum humi iacentem Helenam appellavit propter propinquitatem Aethrae, quae serva Helenae Ilii fuit, allatis his Tryphiodori (441—43.) versibus:

παρθενίῳ δὲ περὶ κλιντῆρι πεσοῦσα
κλαῖεν ἐπισταμένη τὸν ἑὸν μόρον· ἔβλεπε δ᾽ ἤδη
πατρίδος αἰθομένης ἐπὶ τείχεσι μαρνάμενον πῦρ.

Quia fugerat illum, in superiore imagine depictam esse mulierem, neque virum, ad falsam interpretationem suam quasi coactus est. Heydemannus quoque (p. 30) imaginem ante templum Veneris illam a Stesichoro alienam esse falso putavit; quam ob rem, ne plane Stesichori carmen neglegeretur a sculptore, Helenam infra exsculptam esse humi iacentem maestissimam atque veritam, ne lapidibus necaretur. Quasi vero iusta contione habita decretum sit, Helenam lapidibus necandam esse, neque vulgus primo mulieris perfidae adspectu lapides corripuerit ultionis causa! Suo iure Iahnius (p. 34, not. 224) quoque miram hanc Heydemanni opinionem redarguit. Minime tabulae hanc imaginem nostram Stesichoro derogare licet, qua Helenae Menelaique congressus exsculptus est, praesertim cum Homeri iam in Odyssea (VIII, 517.) narretur, Troiae in expugnatione Ulixem et Menelaum statim Deiphobi festinasse ad domum, qui Paride mortuo Helenam duxerat uxorem. An vero tu putas, Menelaum in excidio Troiae Helenam uxorem plane neglexisse?

Quod Polyxenae in immolatione tabula artissime videtur cohaerere cum Hecuba Euripidis, sicut etiam scyphus quidam Homericus, in quo quidem prius temporis momentum repraesentatur[211]), ea causa vix sufficiat, ut hanc fabulam a Stesichoro alienam esse censeamus cum Konsta (p. 42), praesertim cum compertum habeamus, haud paucis locis Euripidem dependere de carminibus Stesichori. Quamquam quid impedit nos, quominus iudicemus, eandem fabulam ab utroque poeta sua ratione narratam fuisse? Nihil dicit etiam Maximilianus Mayer (p. 45), cui Neoptolemus Polyxenae mactator ex Iliade parva vel ex Ibyco huc insertus esse primo aspectu videtur. Quidni primus aspectus iste virum illum simul certiorem fecit, utrum ex Iliade parva an ex Ibyco in tabulam ille irrepserit?

Utut res se habent, nequaquam Konstae concedi poterit, „a perpaucis illis Iliupersidis Stesichoreae fragmentis tabulam nostram abhorrere".

Tum Seeliger (p. 33) tabulae fidem ea re minui putavit, quod Aeneas nimis celebraretur, et nunquam fieri potuisse explicavit, ut Stesichorus vir Graecus locum tanti momenti Aeneae tribueret hosti barbaro: Vitam Stesichorum Himerae degisse; finitimos Elymos Troianorum Phocensiumque progeniem fuisse, Thucydidem (VI, 2) tradere; Graecos medio saeculo septimo finitimos Elymorum factos bellis continuis cum iis congressos esse. Ut vero Graeci re vera adversarios suos agnovissent Troianos patrum hostes, certissime Graecum illum poetam Himeraeum non eo studio ductum esse, ut hostium Elymorum gratia carmine celebraret Aeneam hostem. Tunc etiam necesse fuisse, ut in Siciliam ipsam immigraret Aeneas apud

211) Robert, Homer. Becher, l. l. p. 73.

Stesichorum; tabula autem Iliaca significari Italiam. Offendit enim Seeliger (p. 32) etiam in inscriptione *Αἰνήας σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπαίρων εἰς τὴν Ἑσπερίαν*; sub voce *Ἑσπερία* Italiam intellegi; Italiam autem Alexandrinorum demum temporibus Hesperiam appellatam esse. — Suo iure mihi Seeliger Dionysium Halicarnassensem reicere videtur sic explicantem (I, 35): *Τὰ δὲ πρὸ τούτων Ἕλληνες μὲν Ἑσπερίαν καὶ Αὐσονίαν αὐτὴν* (i. e. *τὴν Ἰταλίαν*) *ἐκάλουν οἱ δ' ἐπιχώριοι Σατουρνίαν.* Quis autem contendet, tabula ipsius Stesichori verba exprimi accuratissime? tunc versuum tantum fragmenta inessent in tabula! Qui Stesichori carmen excerpsit, eum hoc termino *Ἑσπερία* usum esse dico; neque hic Italiam solam Hesperiam dixit, quod rebus ne plane quidem responderet, sed suo consilio incertam vocem Hesperiam, id est terram vel potius terras ad vesperum sitas, ceteris verbis praetulit, ut Aeneae errores omnes unius vocis brevitate complecteretur. Himeraeos deinde a finitimis bello pressos esse negari non potest, nam eiusmodi in augustiis cum Himeraei circa annum quingentesimum sexagesimum Phalarin Agrigentinorum tyrannum in auxilium vocare vellent, Stesichorum illis ne facerent dissuasisse tradidit Aristoteles,[212]) cum notissimam illam de cervo, equo, homine fabulam civium suorum ante oculos poneret, quam fabulam Bergkius quidem (P. L. G. III, p. 233) e Stesichori carminum reliquiis eximendam esse censet. Sed quomodocunque res se habent, Elymorum et Himeraeorum inimicitiae nequaquam Stesichorum, sicut Seeliger existimavit, prohibere potuerunt, quominus in carminibus „hostem Graecorum" Aeneam celebraret, nam sine dubio Himeraei contra Elymos non ut Graeci contra Troianos bella gerebant. Neque enim Thucydides narravit, Elymos Troianorum Phocensiumque progeniem fuisse, quomodo Seeliger scripsit:

212) Arist. Rhet. II, 20; Hor. Ep. I, 10, 34—38; Conon. narr. 42.

Thucydide auctore Troiani patria profugi sedem ac domicilium suum prope Sicanos constituerunt, qui eam Siciliae partem occupaverant, quae spectat ad occidentem solem; Phocenses quoque nonnulli Troia avecti et a cursu suo primum ad Libyam deinde ad Siciliam delati illis se adiunxerunt. Hae gentes tres communi nomine Elymorum sunt comprehensae, quorum capita erant Eryx et Egesta,[213]) quibus e „propugnaculis“ bella ceteris gentibus inferebant. Sicani autem circa annum millesimum ex Italia in Siciliam invaserant (Thuc. VI, 2). Siquidem Simois et Scamander fluvii,[214]) qui Egestam oppidum praeterfluunt originem indicant Troianam, putaverim tamen, gentem Troianam connubii et militiae communitate iam plane absumptam fuisse a gente Sicanica, cum Graeci exeunte saeculo octavo colonias in Siciliam deducere incipiebant; Himera autem medio saeculo septimo a Messeniis est condita. Quae res affatim nos edocent, Elymorum et Himeraeorum inimicitias Stesichorum non prohibere potuisse, quominus in carminibus celebraret Aeneam virum Troianum, quoniam Himeraei Elymos vix habuerint Troianos. Aeneae deinde personam non barbarum Graecorum hostem esse habitam, sed brevi etiam ipsis Graecis heroibus adiunctam esse, Xenophontis ars venandi testatur (I, 15), ubi Aeneas in mediis heroibus enumeratus est Graecis. Praeterea quantopere hostium gloria augebatur, quorum oppidum post decem demum annorum obsessionem expugnari potuit, eo magis quoque Graecorum victorum honos atque gloria gliscebat. Suum igitur Aeneas in tabula locum tenet.

Tunc **Seeliger** (p. 32) se plurimum ceterorum virorum sententiis cessisse existimavit, cum contendit, artificem

213) *Ἔρυξ* — *ἔρυμα* — *ἐρύομαι* (arx, arceo); *Ἔλυμοι* = *Ἔρυμοι*; *ἔλυμα* Suida auctore est *σκέπασμα* (tegimentum), id est *ἔρυμα*. Cf. Kuehner-Blassii grammaticam graec. I, 1, § 13 et 29; vid. *ἔλυμος* apud Suidam. *Ἔγεστα* vel *Αἴγεστα* est machina bellica pellibus caprinis tecta et adoperta Suida auctore. Dionys. Halic. I, 53. — 214) Strab. XIII, 53, p. 608; Diod. Sic. XX, 71.

breviario quodam carminum Stesichoreorum usum esse, minime vero Stesichoro ipso. Eiusmodi excerpta interpolationibus non carere, aliqua cum probabilitate Procli excerptis nos edoceri, atque talem interpolationem esse Aeneae discessum, nisi res ab artifice tabulae ipso esset inventa. — Neque ego quidem negaverim, tabulae artifici excerpta quaedam vel summarium mythologicum usui fuisse, quippe qui ipse etiam profiteatur, se *τάξιν* vel *σύνταξιν* aliquam Theodori secutum esse. Procli autem excerpta interpolationibus non carere, adhuc probandum est; idem probandum est de excerptis illis, quibus tabulae artifex usus est; probandum denique ipsum *Αἰνήου ἀπόπλουν* eiusmodi fuisse interpolationem quandam. Mera Seeligeri sententia nihil probatur; plus contendit ille, quam ostendit. Huc accedit, quod tabularum auctores minime ipsa carmina imaginibus vel sculpturis suis repraesentata plane neglexisse videntur, quoniam non solum in scyphis Homericis illis, qui haud inepte cum tabularum nostrarum imaginibus comparantur, sed etiam in Achillis clipeo Theodoreo illo, quem Bienkowskius edidit, ipsius Homeri versus omnes, qui ad rem pertinent (Il. XIIX, 483—608) in margine clipei sunt circumscripti. Praeterea a viris illis, qui singulari huic propriaeque artificiorum rationi operam dabant, etiam singula poetarum opera plus minusve inter se diversa inspecta quidem esse, credi poterit.

Iam ad eam ectypi imaginem pervenimus, in quam vehementissimus adversariorum concursus atque impetus factus est, quo repulso nemo iam de tabulae auctoritate dubitare poterit.

Errat Schreiber (p. 316), cum censeat, **Aeneae demigrationem** fortasse in Nostis Stesichori neque in Iliuperside fuisse descriptam. Etenim quoniam Aeneas Troiae inter excidium aufugit, res ipsa desiderat, ut Iliupersis quoque indicarit, quo Aeneas se contulerit inter expugnationem;

praeterea vix crediderim, in Nostis, quibus Graecorum in patriam reditus tractati erant, Stesichorum pluribus de Aeneae demigratione dixisse; sortes feminarum, quas Graeci victores secum duxerant, ibi descriptas fuisse verisimile est, neque vero Graecorum in patriam reditum narrans Stesichorus de Aenea dixerit, qui iam antea vi coactus patriam reliquit atque demigravit. Si omnino Aeneae demigrationem (ἀπόπλουν) Stesichorus commemoravit — atque commemoravit tabula teste — sine dubio melius in Iliuperside, quam in Nostis de ea dixerit.

Conatum frustra susceptum Seeliger (p. 33—34) esse iudicavit, si quis probare conetur, Romanorum de Aenea fabulam ante quartum saeculum exstitisse; quam ob rem tabulae testimonium repudiavit, praesertim cum Misenus Aeneae socius recentiorum esset temporum, antiquis enim temporibus Misenum Ulixis neque Aeneae socium fuisse. — Quasi vero Stesichorus in Iliuperside totam gentis Romanae genealogiam usque ad imperatores conscripserit et explicaverit! Inscriptio illa tabulae id solum testari mihi videtur, Aeneam in erroribus suis in Hesperiam id est in Siciliam et Italiam pervenisse apud Stesichorum; Seeliger autem in dubium vocavit, utrum omnino Aeneas Stesichori in Iliuperside emigravisset, an in patria remansisset; et in ea quaestione et in aliis nihil nobis relinqui, quam gravem artem nesciendi exercere. — Longe mihi ab omni dubio videtur abesse, Stesichorum patriae „Hesperiae“ traditionibus esse usum: Miseni figura docet. Neque enim cum Seeligero (p. 34—35) persuasum habere possum, Miseni quidem illius personam a recentioribus demum scriptoribus fictam esse, Epei autem fabulam Stesichori temporibus fuisse pervulgatam et ab eo allatam.

Eandem hanc imaginem totam Konstas (p. 63—69; p. 9) Stesichori ab Iliuperside alienam esse contendit vari-

isque causis ostendere conatur, fieri non posse, ut Stesichoro historia vel fabula Latina fuerit nota; tabulae testimonium non sufficere. — Neque vero tabula quidquam prodidit de Latinis, quoniam e voce Ἑσπερία id solum efficitur, Aeneam occidentem versus emigrantem fecisse Stesichorum. Iniuste prorsus Konstas fabulam Latinam ectypi imagini supposuit, atque extra modum Niebuhrius quoque (p. 191.) prodiit, cum tabulae fide confisus scriberet, Stesichorum de Aeneae emigratione eodem fere modo quo Vergilium cecinisse. Siquidem ectypi cum inscriptione haec Vergilii (II,780 sqq.) verba congruunt, quibus simulacrum vel umbra Creusae alloquitur maritum quaerentem:

„vastum maris aequor arandum
et terram Hesperiam venies",

discrepant statim versus sequentes:

„ubi Lydius arva
inter opima virum leni fluit agmine Thybris;
illic res laetae regnumque et regia coniunx
parta tibi."

Neque ipse Niebuhrius sibi constitit, quod eodem loco addidit, Misenum in tabula fortasse non e Stesichori carmine haustum sed ex Aeneide adiectum esse. Fabrettius quoque (p. 381) hanc imaginem „non a vetustis illis poetis Stesichoro, Lesche vel Arctino emanasse est arbitratus, sed vel a Quinto Smyrnaeo, qui ore Calchantis de Aeneae evasione a Xantho ad Tiberim Romanique imperii interminata amplitudine vaticinaretur (III, 334), vel Virgilianae hypotyposi inserviendo." Neque vero ulla ratio Fabrettii habenda est his in rebus, quia nunc hoc nunc illo scriptore artificem sculptorem usum esse temere contendit: Scala e. g. heroas descendere Quinto Smyrnaeo auctore (p. 369 sqq.). Coroebum a Peneleo ad aram occisum „irrepsisse" e Vergilio „in adulationem Romani vatis ceteris traditionibus

postpositis." Praedicat Vergilii in nece Priami „acribologiam", neque enim tabula hoc loco exsculpta est „secundum Leschen, e cuius traditionibus tabula nostra composita dicitur." Plane fugit tunc Fabrettium, Iliupersidem Stesichori repraesentari! Occursum et agnitionem Aethrae „fuse referre Quintum (XIII, 504); quem potius quam Leschen suum authorem tabulae sequutum esse." In tabula „non Aeneam incessisse religionem, quae apud Virgilium (II, 715):

„Tu genitor cape sacra manu patriosque penates;
me bello e tanto digressum et caede recenti
attrectare nefas, donec me flumine vivo
abluero",

nisi quod eos in theca quadam aut aedicula conclusos tangere fortasse non vereretur. — Alia permulta afferre possum, quibus iudicii levitas appareat; satis e locis allatis apparuerit, Fabrettii sententiam, quibus scriptoribus tabulae auctor usus sit, flocci existimandam esse.

Sed redeat, unde aberravit disputatio, ad Aeneae discessum: Mea quidem opinione Aeneas apud Stesichorum emigravit et multos videlicet errores perpessus usque ad Cumam fere pervenit, id quod Miseni persona videtur probari. Neque vero ullam fabulam Latinam attigit poeta, neque cognitam habere potuit Polybio, Dionysio, Iosepho, aliis testibus.[215]) Recte sic Ludovicum Prellerum[216]) religio ea incessit, unam vocem Hesperiam nimis dubiam esse, quam e qua colligi

215) Polyb. I, 3, 8: *οὔτε τοῦ Ῥωμαίων οὔτε τοῦ Καρχηδονίων πολιτεύματος πρόχειρός ἐστι τοῖς πολλοῖς τῶν Ἑλλήνων ἡ προγεγενημένη δύναμις οὐδ' αἱ πράξεις αὐτῶν.* Dionys. Hal. I, 4: *ἀγνοεῖται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀλίγον δεῖν πᾶσιν ἡ παλαιὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἱστορία*; cf. I, 5 ad fin.; Ioseph. c. Apion. I, 12: *τῆς Ῥωμαίων πόλεως οὔθ' ὁ Ἡρόδοτος οὔθ' ὁ Θουκυδίδης οὔτε τῶν ἅμα τούτοις γενομένων οὐδὲ εἷς ἐμνημόνευεν, ἀλλ' ὀψέ ποτε καὶ μόλις αὐτῆς εἰς τοὺς Ἕλληνας ἡ γνῶσις διεξῆλθεν*; Cf. Bergk., gr. Littgesch. II, p. 293. — 216) Roem. Mytholog. II, p. 314 (670); cf. p. 280 (642) et 316 (672).

posset, Stesichorum etiam de Latio atque Roma narrasse. Nihil igitur opus est, virorum omnium doctissimorum perquirere sententias, qui de origine et de aetate fabularum Latinarum egerunt.[217]) A Miseno Cumam versus ducimur mea opinione, fabulasque Cumanas poetam Himeraeum secutum esse existimaverim.

Ingeniosissime Carolus Odofredus Mueller[218]) ostendit, quomodo Cumani Italici cohaererent cum antiquis Troianis: Arctino teste Aeneam cum reliquiis gentis Troianae ex incendio urbis in Idam montem aufugisse; Gergithios ibi de antiqua Dardanorum stirpe originem repetere; Gergithiorum partem devenisse in Cumaeam Aeolum ibique pagum condidisse patrio oppido cognominem; Cumas denique Campanas a Cumaeis conditas esse. Quare facili transitu fabulam de Aenea novi regni conditore ad Italiae Cumanos pervenire novamque formam induere potuisse. Haec Mueller explicavit. Quoniam autem e multis Aeneae sociis tabula Miseni potissimum nomen prodidit, consulto oram Italiae Cumanam indicari existimem, qua re ostendatur, Stesichori in Iliuperside Aeneam in erroribus suis usque ad hunc fere locum pervenisse.

Iam vero Seeliger (p. 33—34), Frickius (p. 19—20), Nissenius (p. 379), Konstas (p. 66—69) offenderunt Miseni in persona. Strabonis extare testimonium, a Cumanis et Baium et Misenum Ulixis socios habitos esse[219]), neque ullo modo fieri potuisse, ut Stesichorus fabulam de Miseno socio Aeneae a Cumanis acceperit. — Concedo,

---

217) Conferas has commentationes: E. Woerner, d. Sage v. d. Wanderungen d. Aeneas, Leipz. Gymn. Prgr. 1882; F. Cauer, d. Roem. Aeneassage von Naevius bis Vergil, Jahrbb. f. cl. Phil. 1886, Supplb. XV.; G. Heyne, exc. XXI ad Verg. Aen. I: De antiquo Italiae nomine; exc. XV: Praedictio aditus Hesperiae obscura. — 218) Classical Journal XXVI, 1822, p. 308—18. Criseos mythologicae specimen: Explicantur causae fabulae de Aeneae in Italiam adventu. — 219) Strabo I, 18, p. 26; V, 6, p. 245 c. schol.

antiquissimis temporibus Misenum fortasse Ulixis socium fuisse uno Strabone teste solo; cum vero constet inter omnes, fabulas, quae Ulixis et Aeneae errores tractarent, maxime fuisse varias atque mutabiles, nullo iure Iliupersidi Stesichoreae Miseni personam derogari posse existimo. Etenim ut Cumani antiquissimam fabulae formam retinuerint, optime tamen fieri potuit, ut Stesichoro a popularibus finitimisque suis recentior illa fabulae forma traderetur, praesertim cum postea de Aeneae et Ulixis erroribus fabulae adeo confusae essent atque commixtae, ut Lycophrone et Dionysio Halicarnassensi testibus Aeneas etiam una cum Ulixe Romam urbem condidisse diceretur. Accedit, quod Strabo solus Misenum Ulixis socium appellavit; ceteri scriptores omnes[220]) Aeneae eum tribuerunt socium. Quare eas opiniones, quas fabulae adversarii de Miseno professi sunt, vanas atque irritas factas esse censuerim. Cave autem credas Misenum fuisse Aeneae gubernatorem; id nemo narravit nisi Pseudo-Aurelius Victor; deinde etiam Vergilii in Aeneide (VI, 232—35) locus quidam exstat, e quo fortasse falsa ea sed pervulgata sententia emanavit:

„At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
imponit suaque arma viro remumque[221]) tubamque
monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
dicitur aeternumque tenet per saecula nomen.“

Mos erat nautarum, ut remum deponerent in tumulo mortui sodalis; idem Elpenoris anima Ulixem facere iussit in Odyssea (XI, 77); neque ita dubium est, quin Misenus patria profugus sicuti remex remo incumbere vix spreverit. Quomodocunque res se habent, in tabula tubam portat

---

220) Verg. Aen. III, 238—40; VI, 162—189; 212—235 cum Servio ad v. 233; Dionys. Hal. I, 53; Pompon. Mela II, 4; Sil. Ital. XII, 155; Pseudo-Aurelius Vict., de orig. gentis Rom. IX, 6. — 221) Miro quodam modo Vergilii in locum scholiasta haec annotavit: „licet possimus etiam solam tubam accipere, remus enim dicitur lorum (i. e. Riemen), quod continet tubam“.

Misenus, atque irritae sunt sententiae eorum interpretum, qui Misenum in tabula remum aut gubernaculum portare censuerunt, id quod supra ostendi. Praeterea tuba etiam ipsi Miseni naturae Prellero auctore[222]) optime respondet.

Carolus Fricke (p. 19—20) denique contendit, in tabula „penatium servationem eo studio et amore illustratam esse, quo Stesichorus de penatibus certe non narravisset." Confiteor, aediculam illam cum sacris ab artifice tribus locis exsculptam esse in ectypo. Si autem omnino de penatibus vel sacris dixerat poeta, Aeneas aut Anchises sacra illa manibus tenerent necesse erat profecto, donec in navem iuscenderant. Quin etiam certo consilio hoc factum esse existimem: Quoniam etiam Priami, Andromaches, Astyanactis fortunam pluribus imaginibus repraesentatam videmus, artifex alterius gentis regiae interitum saluti alterius evidenter voluit opponere. Sic Anchisen Aeneam, Ascanium sospites cum sacris e periculis imminentibus evadere artifex tribus nos docuit imaginibus; quomodo autem alterius gentis Hecuba secundum Stesichorum ab Apolline socero suo in Lyciam ablata est, sic Creusam quoque a Venere socru sua aut a Magna Matre abreptam esse existimandum erit teste Pausania (X, 26,1), cum in tabula nostra non usque ad navis praesidium pervenerit.

Maximilianus Mayer (p. 45) in ea quoque re offendit, quod cista sacra, neque ipsi penates essent exsculpti. At cistam talem ne Graecorum quidem a cultu fuisse alienam Iahnius docuit.[223]) Praeterea sculpturae ars talem repraesentationem flagitavit profecto; etenim si Aeneae in discessu Anchises etiam ipsos penates vel ipsa deorum simulacra manibus portaret, ignorares, utrum Aeneae discessus an praestigiatorum familia oculis tuis obversaretur.

---

222) Roem. Mytholog. II,3 p. 316 (672). — 223) Cista mystica. Herm. III, 1869, p. 317 sqq.

Utut res se habent, plane Stesichorus ignoravit fabulas illas Latinas, e quibus Augustus praecipue imperator a Troianis et a Venere originem Iuliorum repetiit libentissime, quo maiore vi et auctoritate floreret imperatorum principatus. Tunc tabulae auctor, qui optime erat versatus fabularum Latinarum in memoria imperatorum studiis ambitionique fortasse indulgens consulto et cogitate Stesichori hanc Iliupersidem e ceteris exsculpendam elegit, quae Aeneae in Italiam adventum attigisse videretur, in „Hesperiam" saltem discessum certo commemoraverat, quasi Stesichorus, qui *Αἰνήαν σὺν τοῖς ἰδίοις ἀπαίροντα εἰς τήν Ἑσπερίαν* descripsisse tabulae testimonio comprobatur tantum, gentis Iuliae atque Romanorum originem iam a gente Troiana atque a Venere traxisset. Nostras enim tabulas Romae ortas esse, prope Polyxenam morituram camillus ille docet, quae tamen persona adeo secundaria est, ut tabulae fidei obtrectare plane nequeat. Iniuste Mayerus (p. 45) nimis in ea offendit. Tabularum auctor rei quaerendae nimirum studiosus Romanorum, qui merces suas emerent, studia respicere debuit. Quoniam autem Romani e variis de Aenea fabulis eam maxime flagitabant, quae suorum temporum traditionibus responderet, Stesichori fabulam e ceteris ille elegit, quae videretur maxime traditionis Romanae rationem habere.[224])

Praeterea, si profecto imago illa qua *Αἰνήας ἀπαίρων εἰς τήν Ἑσπερίαν* una cum Miseno exsculptus est, dolose et fraudulenter irrepsisset in ectypum Iliupersidis Stesichoreae, brevi totius tabulae auctoritas evanuisset temporibus illis, quibus Romani animos plane rettulerant ad studia litterarum Graecarum, ita ut statim fraude cognita tota tabula

224) Cf. Robert, Hom. Becher, p. 45; Wilamowitz, Homer. Untersuchungen, (Philolog. Unters. 1884, Vol. 7) p. 332; in hac diss. p. 14—15,

irrita fuisset. Quibus causis eorum quoque iudicia[225]) reiciuntur, qui propter solam aetatem, qua ectypum exsculptum est, tabulam hanc Iliacam pro minus fida et suspecta habendam esse sunt arbitrati.

Postquam supra, quid e tabula ipsa nunc cum maiore nunc cum minore auctoritate ad Stesichori Iliupersidem complendam et restaurandam enucleari possit ostendi, nunc unum quemque adversariorum impetum propulsasse atque tabulae fidem servavisse et ostendisse mihi videor. Stesichori fragmenta nostris temporibus pauca atque trunca tradita esse lugemus. Quamquam praeter ea fragmenta, quae Bergkius Stesichori in editione sua ad Iliupersidem adhibuit, etiam alia nonnulla fragmenta *ἐξ ἀδήλων εἰδῶν* fortasse non sine aliqua probabilitate in societatem reliquiarum Iliupersidis ascisci posse videntur, tamen certa documenta afferri non possunt incertaeque modo relationes exsistunt.

In tabula Andromache cum Astyanacte infante ad templum Latonae Latoidarumque confugit; Stesichorus Tzetza teste (Bergk, fr. 69) Andromachae coniugem Hectorem Apollinis filium dixit. — Achillis ossa in amphora aurea condita fuisse apud Stesichorum, scholium quoddam Iliadis (Bergk, fr. 72) narrat; sepulcrum Achillis Stesichori in Iliuperside magni momenti fuisse Polyxenae immolatio docet in tabula. — Astyanactem puerum innocentem (Bergk, fr. 76: *ἀνίψαλον παῖδα*[226]); Hom. Il. XX, 200 et 431: *νηπύτιον*; Il. XXIV, 726: *πάϊς δ' ἔτι νήπιος αὔτως*.) Graeci interemerunt, ne quis ultor Troiae dirutae remaneret, quia est *νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει*. — Ingratam noctem atque insomnem (Bergk., fr. 78: *ἄτερπνος*) he-

225) Fricke, p. 19; Nissen, p. 379; Preller, mythol. gr. II, 1, p. 313. — 226) Similiter iudicavit M. Mayer, de Euripidis mythopoeia, diss. Berol. 1884, p. 53.

roes Graeci egerunt, qui equi lignei in alveo erant inclusi, cum Troiani comissabantur laetitiaque exsultabant. — Aiax Ileus (Bergk., fr. 84) in Iliuperside Stesichorea Cassandram Minervae de templo revulsit. — Sinon *μεσόνυξ*[226]) (Bergk., fr. 87) equum ligneum reclusit, atque Euripidis Hecuba (v. 897) queritur: *μεσονύκτιος ὠλλύμαν.* — Praeterea Bergkii fragmenta Stesichorea 28—53—70—79—94 et in Iliupersidem et in alia Stesichori carmina quadrant. Relationes sic saepius, neque vero certa documenta argumentaque afferi possunt.

Videmus temporum invidia admodum pauca fragmenta certa et ea maxime trunca mutilataque memoriae nostrae Stesichori ex Iliuperside conservata esse, cuius rei eo magis nos piget atque miseret, quo maiorem vim et auctoritatem Stesichoro potissimum tribuimus, qui in historia litterarum Graecarum praecipuum locum suum atque insignem obtinuit: „Stesichorum quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces et epici carminis onera lyra sustinentem; reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem“ Stesichorus,

> *οὗ, κατὰ Πυθαγόρου φυσικὰν φάτιν, ἃ πρὶν Ὁμήρου*
> *ψυχὰ ἐνὶ στέρνοις δεύτερον ᾠκίσατο.*

Sententiae controversae.

I. Eurip. Troad. 633 lego:
ἀλγεῖ γὰρ οὐδὲν τῶν κακῶν ἡσσώμενος.

II. Euripidem (Electr. v. 459—70) in descriptione clipei Achillei artis Atticae typos secutum esse contendo.

III. Plaut. Poen. 585 retineo lectionem:
Hodie iuris coctiores non sunt, qui lites creant,
Quam hi sunt, qui, si nihil est litium, lites emunt.

IV. Phidiae Athena Parthenos dextram manum columnae imposuit.

Scriptoris vita.

Maximilianus Fridericus Paulcke natus sum Kiliae Holsatorum prid. Non. Jun. anni h. s. LXVII patre Friderico Eduardo, matre Henrietta de gente Martens, quos praematura morte mihi abreptos lugeo. Fidei parentum evangelicae sum addictus. Pueritiae et adulescentiae aetatem Hammoniae degi, ubi a vere anni h. s. LXXVI scholas Iohannei gymnasii frequentavi. Vere anni h. s. LXXXVI testimonium maturitatis adeptus statim Kiliae merui stipendia atque simul in numerum civium academicorum receptus sum, quo ex tempore studiis philologis operam dedi. Autumno anni h. s. LXXXVII Monachium transmigravi, unde vere anni h. s. LXXXIX Kiliam reversus sum. A vere anni h. s. LXXXXIII Utini Lubecorum studiis academicis carui, quae autumno anni h. s. LXXXXIV Rostochii redintegravi. Inde autumno anni h. s. LXXXXVI Regimontium me contuli, ubi a. d. XIII Kal. Aug. anni h. s. LXXXVII examen rigorosum quod vocant absolvi.

Philologorum proseminarii et seminarii per non nulla semestria sodalis fui Kiliae, hospes in ceteris academiis.

Demonstrationibus et exercitationibus archaeologicis interfui virorum humanissimorum:

Foerster, de Brunn, Rossbach.

Praeterea scholas et exercitationes frequentavi **virorum** *doctissimorum:*

> **Blass**, **Bruns**, **Busolt**, **Cauer**, **Deussen**, **Foerster**, **Forchhammer** †, **Glogau** †, **Klostermann**, **Rossbach**, **Schirren**, **Schum** † *tunc Kiliensium:*
>
> de **Brunn** †, **Carrière**, de **Christ**, **Guettler**, **Muther**, **Oehmichen**, **Pauly**, de **Pfordten**, de **Rockinger**, **Seeliger**, **W. Schoell** †, **Woelfflin** *tunc Monacensium;*
>
> de **Arnim**, **Bethe**, **Golther**, **Koerte**, de **Stein** † *tunc Rostochiensium.*
>
> **Jeep**, **Ludwich** *Regimontanorum.*

Quibus viris omnibus debitam semper reverentiam atque gratiam praestabo. Praeter hos vir doctissimus **Iohannes** *Tolkiehn, qua liberalitate in opusculo perpoliendo mihi* **praesens** *promptusque fuit, summa sibi me gratia obligavit.*

Praecipue denique Ottoni Rossbach praeceptori venerandissimo gratias ago quam maximas, qui disputationis huius argumentum tractandum mihi proposuit atque in hac alma litterarum universitate Albertina Regimontana et in Christiana Albertina Kiliensi pro humanitate comitateque sua opera consilio benignissime adiuvit me semper animo paratissimo.

